

PANEGYRICVS

AD SERENIS-  
SIMOS ET POTENTIS-  
SIMOS PRINCIPES AC DOMI-  
nos, D. JOANNEM III. Suecorum, Go-  
thorum, Vandalorumq; Regem, Magnum Princi-  
pem Finlandie, Carelie, Votschovia, & In-  
grie Ruthenorum, Esthoniae&q;  
Livonum Ducem.

ET SIGISMUNDVM III.

REGEM POLONIÆ ET DESIGNATVM SVE-  
cie, Magnum DVCEM Lithuaniae, Russie, Prussiae,  
Masoviae, Samogitia, Kijoviae, Volhiniæ,  
Podlachiae, Livonie &c.  
Principem.


Pauli Oderbornii.



RIGÆ

Typis Nicolai Mollini.  
Anno CI. ID. XXXIX.

1589.



KATAU

C.

BIBLIOTHEKA  
der GESELLSCHAFT für  
GESCH. u. ALTERTUMSK.

BIBLIOGRAPHIA

284

SERENISSIMIS ET POTENTISSLIMIS Principibus & Domini,  
Domino IOANNI III. Svecorum, Gothorum,  
Vandalorumq; Regi, Magno principi Finlandie,  
Careliae, VVotschoviae, & Ingric  
Ruthenorum, Esthoniq;  
Livonum Duci.

ET

SIGISMUNDO III.

Regi Poloniae, & designato Sueciae, Magno Du-  
ci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae,  
Samogitia, Kijoviae, Volhiniæ, Podlachiae, Livonie,  
&c. Principi, Patri augusto, & Filio poten-  
tissimo, Regibus et Dominis  
suis clementissimis.

(?:::)



Erenissimi & potentissimi Reges, Principes & Domini clementissimi, nemo per orbem terrarum adeo cœsus est, qui non videat, Regias et divinas majestates vestras ad summam tantorum Regnorū amplitudinem, ad perpetuum tantarum victoriarum cursum, et ad excellentissimam Regij generis nobilitatem optimarum etiam disciplinarum scientiam adjunxisse. Non injuria itaq; liberalium litterarum presides Musæ Sacris Regiis Majestatisbus vestris in Livoniam adventantibus nunc quasi occurunt, et tantis principibus famulantur calamo, favent linguis, applaudunt omnibus, & Majestatum vestrarum divinos vultus, incomparabilem illam & antiquam Gothicorum regum virtutem adhuc vivide spirantes, reverenter adorant. Ego cere ardantis ingeni mirifica cupiditate impulsus, ex Musarum & historiarum ornatisissimus floribus hunc quoq; Sacris R. Majestatisbus vestris panegyricum contexui, qui in decantandis antiquissime & nobilissime gentis

A 3.

Gothica

ZA FB  
R 2044

PSR ZINATAU AKADEMIA  
SEUDAMENTALĀ LIBRĀRIA  
BIBLIOTEKA \*  
LATVIJAS

Gothicæ laudibus totus consumitur, eum spero S. R. M. vestras non omnino abjecturas. Videbunt enim et recordabuntur S. R. M. vestras, quod invictissimi semper Reges, fortissimi Principes, magnanimi in bello Duces, nobilissimi Heroes, sapientissimi populorum rectores in natione Gothica floruerint. multa fortassis brevius, non nulla prolixius, quedam succinctius dicta videbuntur, sed in magnis, ut affjunt, voluisse magnum est, et scio quinetiam, erigi maximis regibus liberalium litterarum memoriam monumentum ære perennius, quod non livor edax, non aquilo impotens, possit dirvere, aut innumerabilis annorum series, aut fuga temporum. Nunc deum precor, o Serenissimi et Maximi Reges, ut Sacris Majestatibus vestris terrarum omnium donet imperium, utque in tutela majestatum vestrarum omnis jam Livonia ad solidam felicitatem divina vestra fortitudine et consilio parta pace, conquiescat. Riga. Calend.

August. An. 1589.

S. R. M. V.

Subjectissime colens

Paullus  
Oderbornius.

PANE-

PANEGYRICVS AD SERENIS-  
SIMOS ET Potentissimos Sueciae ET  
Poloniae Reges, IOAN. III. Pa-  
trem Augustum, et SIGISMVN=  
DVM III. Filium victo-  
riosissimum.

Vemadmodum, o Potentissimi ET se-  
renissimi Reges, cum omnia diligen-  
ter oculis animoq; lustraverimus, ni-  
hil est omnium rerum, quæ adspectu sentiuntur,  
tam præclarum, tamque divinum, quodq; ho-  
mines tanta admiratione adficiat, quam aure-  
us ET splendidissimus sol, qui dux ET guberna-  
tor est siderum cunctorum, ET omnium rerum  
salus ET conservatio: nec enim ulla species aut  
jucundior, aut usu pulcrior sese oculis offerre  
potest, quam solis exorientis adspectus: qui can-  
dore suo lucidissimo tenebras fugat, rebus calo-  
rem adfert, cælum, maria, terras exhilarat, ET  
insatiabili quadam lætitia ET voluptate omni-  
um animantium oculos atque animos comple-  
t: Ita nihil est in rebus humanis tam augustum,  
tam divinum, tamq; magnificentum, quodq; homi-  
nestanta veneratione prosequi debeant, quam  
divinissima illa ET excellentissima summorum

A 3.

Regum

Regum majestas, quæ secundum Deum O. M.  
gubernatrix est rerum omnium terrenarū. dic  
mihi quid est inter mortales Regia majestate &  
dignitate præstantius, quid melius, quid utilius?  
quæ adspicere clementiæ sua homines exhilarat,  
providentia sua tetras seditionum & confusi-  
onum caligines discutit; virtute sua cives &  
subditos tuetur: afflictis manum porrigit, ur-  
besq; & oppida & populos longè laleq; per or-  
bem terrarum dispersos in summa rerum tran-  
quillitate gubernat? ò venerandam, ò suspicien-  
dam, ò celebrandam maximorum Regum ma-  
jestatum? quæ ad cælestē & perfectum illud dei  
viventis imperium tam propinquo accedit gra-  
du, ut & ipse rerum omnium dominus & pa-  
rens Rex Regum, Rex cæli, Rex terræ, et ma-  
ris, et inferorum frequentissimè appelleatur.

Quid autem ais barbare? quid in illis rerum  
humanarum confusionibus tumultuose vocife-  
rissan non tamquam clarissimum aliquem in  
mundo solem lucere Reges? at lucere eos, & illu-  
minare stellarum aliarum subditorumq; suo-  
rum tenebras, pro explorato nos habemus? an  
nullam eos habere vel maximam potestatem,  
nisi vulgarem? at summi dei cum summa Pote-  
state

state ministros esse, nec sine causa gladium ge-  
stare, ter maximus ille Paulus asseverat? an  
non deos esse, & filios excelsi universos? at tali  
appellatione ob excellentiam officii, quo fun-  
guntur, deum O. M. eos dignatum esse, divinus  
ille Davides tradit. num illorum imperium esse  
contemnendum? at talium rerum molitionem  
animis corporibusq; fuisse exitiosam, Israëli-  
rum, Coræi, & Absolonis horribiles tragediæ do-  
cent. nihilne ne omnino præter inanes titulos;  
aut nomen augusti ipsis dandum in hac vita? at  
obedientiæ, cultu, honore, tributo, metu, vecti-  
gali dignos esse, sanctorum scripturarum paginæ  
ostendunt. anilesne esse fabulas repugnantius sup-  
plicia, & præmia obedientium? at reddituros o-  
mnes deo totius vita rationem, & digna quemq;  
suis dictis atq; factis vel præmia, vel supplicia  
reportaturum, & Christianorum declarat fi-  
des, & gentium experientia testatur. Experi-  
scere itaq; ò Livonia, & ex orientem in nebulis  
tuis duorum maximorū Regum candidissimum  
solem reverenter adora, vide quoſo solennes  
tantorum heroum congressus, admirare augusti  
Patris, & serenissimi Filii dulcissimos comple-  
xus, cerne tam celebrem ubiq; festivamq; Go-  
thorum

thorum & Sarmatarum frequentiam: considera tot insignium procerum lumina, intuere pompas tot generosissimis viris, tot fortibus ministris, tot equis, tot armis, tanto apparatu conspicuas; examina apud animum tuum tot civitatum occursum, tot ornatissimas Legationes, tot egregios praesules, tot illustres optimates: certe clarius est tantorum Regum presentia, quam solis luce dies, & inopinato duorum divisorum adventu ad eternam posteritatis memoriam consecratus. o memorabilem illum beatumque diem & in fastis eximiae alicujus nota adjectione signandum, qui tantorum Principum adventu afflictos Livoniae populos à presenti calamitatum periculo, Provinciam à perpetua cibilium bellorum formidine liberavit. quo quidem die Solem euidem ipsum lucere solito nitidius arbitror, & flumen Dunam clariores majoresq; undas volvere, quo citius illa præteriorum temporum mala eluat atque exoneret in profundum mare. o rem novam atque inauditam! an vero creditura est ulla posteritas, duos longè maximos Gothorum & Polonorum Reges tamen singulari favore, tamen incredibili benevolentia complexos fuisse Livoniam, ut in ea

potissi-

potissimum habendi colloquii consiliique caussa conventum egerint? o viduas, o pupilos ipsos quoque beatos! illæ enim rerum afflictissimorum suarum auxiliares quasi deos vident; hi, quibus in tamen adversa fortuna, in tantis malis, calamitatibus, miseriis, tamen duris, miseris, tristibus, perditisq; temporibus, se fortunasq; suas devotissime commendent, ad quos supplices manus tendant, in conspectu habent. o horam denique illam plenam latitiae & hilaritatis, qua hoc ad civitatem Rigensem nuncio allato, ipsa deo immortali gratias actura, supplicationes ad aras et templa instituit & decrevit. profectò si tantæ nobis adessent vel rerum vel orationis copia, quantas ista duorum Regum majestas, divina proxima, postulat, si suaviantem Latino sermonem linguam haberemus, essemus meliore animo, & aliquam officii tantæ majestati debiti partem persolvere certe conaremur. verum & omnem exornandæ Regie dignitatis facultatem incipia præcidit, et laudū tatarū magnitudinem oratio nostra reformidat, quæ magnoperè vereatur, ne sitantos Principes, tamen potentes Reges, tamen longè lateq; dominantes coarctare: immensumq; dicendi campum modicis hujuscē dictio-

B.

nis

nis perangusta & regionibus definire volverit, ab  
iis, qui tantas duorum Regum majestates cir-  
cumstant, generosissimis viris jure rideatur.  
Jacienda tamen alea est, dicendum aliquid est  
de tantis regibus, gratulandum est divis ter-  
restibus, applaudendum est tantis heroibus, be-  
nè precandum est, jubilandum est, benè de prin-  
cipum maximorum adventu ominandum est:  
Et ne singulis commemorandis nullum inve-  
niat exitum oratio, ex immensa rerum dicen-  
darum turba pauca quædam sunt decerpanda,

Ioannes  
III. Rex. Te igitur ô IOANNES Tertie, potentissi-  
me Suecorum & Gothorum Rex, qua flagran-  
ti voce, quo jucundo veraciq; sermone, quibus  
laudibus in celum feremus? quid de tuis in omni  
genere regiis virtutibus dicemus. quid de isto  
honoris, potentiae, majestatisq; amplissimæ fasti-  
gio commemorabimus? multa enim jampridem  
de tuis summis rebus gestis & victoriis audi vi-  
mus: Scimus quomodo populis tuis belli calamiti-  
tates detraxeris, dignitatem auxeris, & adju-  
menta felicitatis comparaveris; nihil à te hu-  
mile, nihil obscurum, nihil vulgare, ampla o-  
mnia, præclara, victoriosa, inusitati exempli,  
novi generis profecta sunt. audivimus divi-

nam

nam majestatis tuae prudentiam, quam nihil  
fallere, justitiam, quam nihil inflectere: bonita-  
te nō clementiam erga subditos, quam nulla  
temporum asperitas imminuere, aut labefactare  
potuit. In regendis populis severitatem sine su-  
perbia, in administrandis tot regnis & sine fe-  
stinatione diligentiam, & sine tarditate gravi-  
tatem. Certè felicem beatamq; fortuna-  
tam dicemus Gothiam maximam illam, &  
fortium virorum principumq; & heroum fera-  
cissimam regionem, quæ te genuit, IOANNES  
Rex, quæ te educavit, quæ te ad summae & for-  
titudinis & virtutis laudem informavit. hæc  
illa tua est Gothia, quæ amplissimas latissi-  
meque patentes versus occasum & meridiem,  
versus boream & ortum regiones et regna com-  
plectitur: hæc illa est Gothia, gentium offici-  
na, populorum vagina, hic ille alter orbis est  
ob incompartam & terrarum magnitudinem,  
& incolarum multitudinem appellatus. tu  
regio tuo sceptro magni illius Oceani Balthi-  
ci & Septentrionalis terminos coërces: tu  
ingenti tantarum vndarum muro circumse-  
ptus vicinorum insultus, bella, irruptiones  
pessundas: tu terræ marisque imperium ha-

B 2.

bes

bes. eritne ne cuiusquam tanta dicendi vis,  
aut copia, quæ universas regiones & principa-  
tus tuos, non dicam complecti orando, sed per-  
censere numerando queat? age quid de Westgo-  
thia, Ostgothia, Smalandia, Tuischia, loquemur?  
quid Verendiam, Moringiam, Elandiam, Op-  
landiam commemorabimus? nonne Suderman-  
nia, Westermannia, Nericia tibi parent? tu  
Dalia, Feringia, Gestrica, Helsingia, Anger-  
mannia dominaris: tua est Jemphitia et Midel-  
padia, à te Westbothnia, Ostbothnia, Northboth-  
nia leges accipit: tui juris sunt Scricfinnia, La-  
ponia, Biarmia: te Magnum Ducem venera-  
tur Finlandia; tuæ augustissimæ corona subjacet  
Carelia: tuam majestatem reformidat Wots-  
chovia, Coporia, Ingria: Estonia te adorat; Al-  
lentacia te colit: Viria, Harria, Jervia, Wi-  
chia tibi tributum pendunt. Quod si gemitus,  
si desiderii molestiam, si impatientiam populo-  
rum tuorum, dum ex regno tuo augustissimo dis-  
cedis, videre posses, serenissime Rex JOAN-  
NES, tot suspiria audires, tot lacrimas videres,  
tot gemitus, tot fletus miserabiles admirareris.

Non enim tam anxia sollicitudine quondam  
Roma Scipionem dimisit, vel Paulum Aemyli-

um,

um, vel Alexandrum Severum, quos ab urbe  
discedentes S. P. Q. R. per multa passuum mil-  
lia deduxit, multis cum lacrimis, summoq; cum  
animi dolore. In tuo autem abitu, quæ Regio,  
quis vicus, quæ domus non indoluit? te faustis o-  
minibus, te religiosis comprecationibus, te sequa-  
cibus oculis prosequuntur omnes potentissimi  
Regni tui pomeriis excedentem, oculis quidem  
quoad licet, votis autem in Livoniam usq; co-  
mitantes, Biarmi lugent, dolent Lapones, ge-  
munt Scricfinni, lacrimarum flumina fundunt  
Northbothnii, Ostbothnii, Westbothnii; quid  
Angermannii, Helsingii, Gestricii, quam tristis  
& luctui simillimus squalor eorum vultus oc-  
cupavit? Feringii, Dalii, Nericii discessum tibi  
invident: tuam Majestatem Sueones, Gothi,  
Finlandi retinere vellent: propter tuum abi-  
tum gaudio, dolore, spe metuq; Westermannii,  
Sudermannii & Oplandi cruciantur: tui redi-  
tus desiderio Elandi, Moringii indicibliter te-  
nentur: tua Majestas in regnum reversa Tui-  
scios eriget, Smalandos recreabit, firmabit Ost-  
gothos, & consolabitur Westgothos. tam sancte  
tam religiose tua tibi gens summam fidem suam,  
observantiam singularem, studium indefessum

B 3. oculis

oculis, vultu, voce, pectore, declarat. Ita nimis  
mater filium in peregrinas terras euntem: ita sponsa dulcissimum sponsum tristibus  
oculis proficiscentem spectat. Nunc unus-  
quisque domesticarum fortunarum suarum o-  
blitus, de tua majestatis salute discruciatur: nec  
aliunde interim sermones hominum in con-  
ventibus, in convivis, in congressibus, nisi de  
sui Regis valetudine: nulla alia domesticæ con-  
fabulationes, ad suos quisque lares & mensam,  
quid, inquiunt, nunc rerum agit serenissimus  
Rex noster? ut vivit? ut valet? quo in loco  
iter habet? quam serenum? quam nubilum ae-  
rem habet? an non ipsi militat æther? an non  
conjurati latitant in carcere venti? vivat  
Rex noster: valeat Patriæ Pater; sospes sit au-  
gustus princeps: bene sit fundatori salutis no-  
stræ: vivimus enim dum vivit ille; mala  
non formidamus: dum ille noster dominus est:  
in tuto sumus: dum ille conservatur: de u-  
nius illius Regis fortuna, omnes nostræ pen-  
dunt fortuna. Alii quinetiam, o Maxime  
Rex, ad cytharam & plectra sonantia laudes  
tuas, & præclarissima totius vita tua institu-  
ta, & excellentem in omni actione omniq[ue] for-  
tuna

na pietatem decantant: alii opes, honores, cli-  
entelas, felicitatem tuam admirantur nonnulli  
lucentem in ipso plane aspectu tuo divinam  
quandam majestatem intimis sensibus diligunt,  
& memoria revoluunt; alii vicissim fortitu-  
dinem, justitiam, æquitatemque tuam deprædi-  
cant; alii bella tua maxima, & res præclarissi-  
me à majestate tua gestas nepotibus suis incul-  
cant & narrant: omnes uno ore, religiosissi-  
mis votis, assiduis precationibus, faustis omi-  
nationibus redditum tuum incolumem & ma-  
turm à deo O. M. optant: hoc unum per o-  
mnia tempora auditur, hoc unum sacerdotes, hoc  
virgines, hoc viri, hoc feminae, hoc pueri innu-  
ptaque puellæ orare et exorare student. imò nunc  
tur te populi; tuum regnum tua te Gothia à Li-  
vonibus tali sermone reposcit: Redde mihi o Li-  
vonia, redde mihi Regem meum, redde domi-  
num, redde Principem, redde defensorem, redde  
Patriæ Patrem, redde mihi Augustū meum: ego  
illum genui, ego nutricavi, ego educavi: genui  
illum non tantum hominem, sed principem: nec  
tantum principem, sed Regem, nec tantum Re-  
gem, sed regem florentissimum, regem benignum,  
regem bonum, placabilem, justum, optimum.  
suffi-

sufficiat tibi; ô Livonia, quod Rex meus S.L.  
GISMVNNDVM Filium unicū, Filium  
sui similem, id est, optimum itemq; maximum  
Et florentissimum Poloniae et tibi ante hoc tem-  
pus dedit, quo quidem præclarissimo dono since-  
ram ac prorsus diuinam quandam in te picta-  
tem testificatus est. quid quoq; serenissimo patri-  
carius potuit esse unico Filio suo, SIGIS-  
MVNDO, Principe nobilissimo? sed ille Fili-  
um ad te unicum misit, principem tibi magna-  
nimum et felicissimum donavit; fundamentum  
tue salutis crexit, firmamentū rerum adflicta-  
rum tuarum constituit, et quasi numē quoddam  
auxiliare tibi largitus est: perpende tecum, ô Li-  
vonia, quanto desiderio, quanto ardore, quanta  
sollicitudine filium suū SIGISMVNNDVM  
adhuc desideret augustus pater? Aenea Troja-  
norum principi omnis in carissimo Ascanio cu-  
ra stabat; an verò hunc Regem meum Aenea  
aut generis splendore, aut paterna affectione  
putas inferiorem? certè beavit te, ô Livonia,  
beavit te Rex meus, cum filium suum genere re-  
gio, annis, ingenioq; Et summis dotibus floren-  
tem Regem tibi constituit Et donavit: illum  
Polonia Regem, Lithuania habeat Magnum

Du-

Ducem, illum Sarmatae venerentur; Russi a-  
dorent, Borussi ament: metuant Moschi, Tat-  
tari formident, Samogitæ, Volhinii, Podlachii  
eternis obsequiis demulceant, tu modo, ô Livo-  
nia, Regem meum, Principem meum, alumnum  
meum, patrem mihi meum remitte: illo enim  
salvo, salva est Suecia Et Gothia: illo impe-  
rante pax Et justitia, religio Et fides vigebunt:  
illo praesente, non arma, non enses, non hostes,  
timebo. dederit ille sanè hoc paternæ affectio-  
ni, dederit amori, dederit rerum gravissima-  
rum necessitati, ut filium unicum Et nobilissi-  
mum in Livonia salutaret Et videret, Et pa-  
ternis complexibus comprehensum quasi tene-  
ret; sed à summis cælitibus, quibus eum profi-  
ciscentem commendaveram, hoc unicum peto,  
hoc flagito, hoc opto, ut felicissimum mei Regis,  
mei Principis Et Patriæ Patris redditum nunc  
aliquando conspiciam, Et meis intimis deliciis  
fruar. Pro illo nec nobilitatem Cecropis, nec  
felicitatem Polycratis, nec opes Cræsi, nec copi-  
as Xerxis, nec victorias Cæsaris, nec triumphos  
Pompei expeto, nihil mihi majus dare possunt  
superi quam regem Et principem meum deside-  
ratissimum, carissimum, florentissimum. Tu

C. autem

autem, ô potentissime Rex JOANNES III., tam  
en te amando populorum tuorum conser-  
sum mirari profecto nō debes, magna enim sunt  
qua jam apud populos tuos egregiè et fortiter in-  
choasti; majora tamen, qua mente designas, ni-  
hil vulgare cogitas, nihil humile, nihil angu-  
stum, metiris omnia tua regia dignitate potius,  
quam communibus exemplis. præclare. non e-  
nim regiae laudes in mediocritate versantur,  
nec decet, qui potestate, Ὡ honore cunctis ho-  
minibus antecellat, eum ab ullo homine recte  
et animosè agendi cupiditate, studioq; superari.

In te igitur, ô maxime Rex, primum tuendæ  
atque amplificandæ religionis, deinde ejus occid  
conservandi; cuius auctor, Ὡ custos ante à fu-  
isti, sita spes omnis est: à te bellica studia, à te li-  
berales disciplinæ, à te ipsa virtus ornamenta  
sua repetit, tu, quod semel fecisti egregiè, per-  
petuò facis, ut tuos ingentes populos diuturna  
pace, justitia, pietate foveas: tu regnum tuum  
operibus magnificentissimis, Ὡ, cum ipsa an-  
tiquitate comparandis, exornas; tu civitates  
tuas, tui studiosissimas, superiorum temporum  
calamitatibus adflicas, perpetua benignitate  
recreas: atque hæc præstantissimarum Ὡ re-  
gia-

giarum virtutum semina à potentissimis Ὡ  
divis majoribus tuis in te sunt propagata.  
Quippe de liberis posterisque plerumque judi-  
cari solet ex ingenio heroico, Ὡ divinis præ-  
clarisq; facinoribus majorum, qui si religiosi,  
si fortes, si magnanimi, si justi, si bellatores, si  
excellentes herœs fuerunt; pii etiam, strenui,  
animosi, justitiæ amantes, armorum sectato-  
res, Ὡ præclarissimi esse creduntur nepotes.  
id quidem eloquentissimus ille Sophocles in  
Electra demonstrat, cum bene sperare de eo  
jubet, qui ex bonis Ὡ optimis parentibus in  
lucem editus erat. hic ego, serenissime Rex,  
si orationis vela pandere, Ὡ quasi aperto in-  
vectus campo, per maximorum Ὡ potentis-  
simorum majorum tuorum laudes decurrere  
velim, vereor, ne, cum dicendi principium  
vel facillime reperero, exitum reperire non  
possim. Quis est enim ita veteris memoria i-  
gnarus, ita in antiquorum temporum historia  
peregrinus atque hospes, qui non divisorum ma-  
jorum tuorum regum Gothicorum res pro reli-  
gione, pro aris, pro libertate, pro patria et regnis  
fortiter Ὡ præclarissimè gestas, si minus è scri-  
ptorum monumentis cognoverit, at auditione

certè aliqua acceperit? Religionis quidem since-  
ra & defensio & propagatio in regibus præcipue  
s. Eri. commendatur. quis autem fuit S. Erico Go-  
cūs.Rex. thorum Rege religiosior, qui pro deo & aris  
quoties ita res ferret, non regias modò fortunas  
suas, verum etiam suum caput & coronam sine  
ulla cunctatione in quodlibet vel manifestissi-  
mū discrimē conjecit. tunc gentes Gothicæ fictos  
& inanes deos venerabantur, & in summa cæ-  
citate vitam miserrimam trahabant, ut poteret  
religionis & pietatis omnis egentes (qua vera  
stabilesg̃, divitiae sunt) neq; virtutibus solūm,  
sed etiam vitiis divinitatem tribuebant. eas  
ad verum sincerumq; dei cultum excitavit san-  
ctissimus ille Ericus, ita ut nunc repudiatis diis  
falsis & commenticiis summo rerum parenti et  
vero deo ceremonias, honores precesq; adhibe-  
ant, omnibusq; bonis celestibus circumfluant, et  
saturentur pane illo vivo, qui de cælo descen-  
dit, qui vescentes vivent in perpetuum, & hy-  
mnis sempiternis deum venerabuntur. o beatū  
illud seculum cum christiani Reges & princi-  
pes, & populi sine ullis discordiis, sine ulla opi-  
nionum varietate ac discrepancia, summo con-  
sensu, omnes vires suas ad proferendos christia-  
nare

næ religionis terminos contulerunt. Sed omis-  
so Erico adjustissimum illum Byrgerum venia-  
mus. hic ille est Byrgerus qui Carelos armis  
subegit, qui toties suos hostes profligavit, qui  
potentissimas urbes condidit, quem veluti Nu-  
mam & Catonem aliquem populi Gothorum  
venerati sunt, qui in ocio felicissimoq; Reipub.  
statu tanta moderatione prudentiaq; regni gu-  
bernacula tractabat, ut neq; ipse successu re-  
rum fieret licentior, neq; cuiusquam aut odio  
aut invidia obnoxius effet. Porro si quis non  
tantum religionis candorem, nec amabilis so-  
lum justitiae decorem intueri; sed victorias, sed  
bellica facinora mirari cupit, si quis animi ocu-  
los inter enses, gladios, arma & rotarum radios  
circumferre gaudet: si quis etiam mansuetè, pru-  
denter, fortiter, & præclare facta amat et suspi-  
cit, Haquinum ille Ringonem ob oculos ponat.  
tanta profectio est rerum ab eo gestarum magni-  
tudo, tanta copia, ut neq; possit quis quam, ne si  
summa quidem rerū fastigia attingere velit, di-  
gnissima queq; recensere: neq; singula cōsectans,  
omnia brevi temporis spacio persequi. Totum il-  
le septennium ductore Starchatero bellum lon-  
ge maximum & exitu gloriissimum contrā

C 3, Dania

Haqui-  
nus Rex.

Bellum  
Haquini  
cū Danus Dani & regem Haraldum Hildetancem paravit,  
tandemq; innumerabilia hominum millia et bis  
mille quingentasq; naves omni armorum ge-  
nere & viris fortissimis instructas in expediti-  
onem duxit, ut terra mariq; per medios hostes  
deo duce sibi & suis viam vi & ferro ficeret.  
nam et juramentum prius pulcherrimū claris-  
simumq; juraverat, numquam se ex bello, nisi  
parta victoria reversurum. itaq; cum utrinq;  
armatae acies in conspectu constitissent, pericu-  
losius differre bellum ratus, circumvectus suos,  
singulas nationes diversa oratione alloquitur,  
Sueones & Scricfinnos opum et divitiarum o-  
stentatione, Biarmios & Dalacarlos veterum  
bellorū memoria, Gothos & Ostigothos & Vi-  
sigothos nunc Europæ et Italiae victæ admonet,  
nunc Asia & Africæ expetitæ, nec inventas il-  
lis toto orbe pares vires gloriatur. Ceterum &  
laborū finem hunc, et gloriæ cumulum fore. atq;  
inter hac identidim cōsistere aciem jubet, ut hac  
mora consuecant turbam hostium oculis susti-  
nere. Nec Haraldi Danici segnis opera in ordi-  
nando suorum exercitu fuit. quippe omissis du-  
cum officiis, ipse omnia circumire, singulos hor-  
tari veteris gloria Danorū & Cimbrorū, impe-

riiq;

riiq; perpetua à diis immortalibus datæ possesi-  
onis admonere. Post hæc præliū ingentibus ani-  
mis terra marique committitur. Erat eo tempo-  
re in fama terroreq; hominū Starchaterus, qui  
ab admirandis facinoribus, turrium atq; arcii-  
um et hominum eversor esse dicebatur. is acce-  
pto totius exercitus imperio, et in ferrū cum con-  
temptu toties à se victi hostis ruens, ingenti ani-  
mo et viribus indefessis propulsandi belli nego-  
cium susceperebat. Excogitaverant contrà Dani  
cum alia multa ad prohibēdas Sueonum et Go-  
thorū incursiones, aptissima, tum catenas mul-  
tas ferreas, quibus ita vias omnes occluserant, ut  
equitatui, quo plurimum valebat Gothi, omnis  
adempta spes facienda in hostem eruptionis vi-  
deretur. sed nihil viriū habet adversus fati vim  
subdola et astuta consilia, debiles sunt omnes ad-  
versus fortunam machinae, imbecilla et inutilis  
adversus fortitudinē multitudo. Nam fortuna  
duce per dēsīssimā hostiū aciem Starchaterus tā-  
ta animositate viam apervit, ut nō prius desiste-  
ret, quam hostes fusos, fugatosq; & castris ex-  
sutos videret. Parte alia Haquinus ipse, quem  
mirifica virtus, & bellicæ laudis ardor, atque  
item ingentes opes ad tuendum regni sui decus  
vehemen-

Starcha-  
terus.

vehementissime commendabant, quiq; etate, ingenio, formaq; vel præter regium nomen totius Gothiaæ virorū longè florentissimus habebatur, exercitum suum antecedens, hostiumq; aciem subjectam oculis militibus ostendens, tanta servitia immanitateq; hostes fortissime repugnantes trucidabat, ut imbellis etiam homines projectis ad terram armis, suppliciter vitam deprecantes, crudelissime. Immanissime cederentur. Ità Goths omnia longè lateq; veluti tempestas quedam sternebant, contrà Dani mori quam vinci peroptabant: raro etiam ullo prælio tantum humani sanguinis fusum est. Nam repente nebula crassior ex sudore & sanguine hominum palustri exorta campo, ità hostium aciem intexit, ut gladiorum usus dirigendis itembus fatali pugnantium incommodo eripetur. Victoria ipsa penes Gothos fuit, qui Danicorum procerū triginta millia interfecere, cum ipsi duodecim hominum nobilium millia pugnando amississent. Haraldus cum vinci suos videret, voluit mori & ipse, sed à proximis fugere compulsus, tandem ab auriga suo curru excusus & multis vulneribus deformis in gratiam victoris Haquini miserabiliter est occisus.

erat

erat in castris Danorum auri, argenti facti, infecti q; permagna vis, gemmarum maximi precii admirabilis multitudo: multum tapetum, multum conchiliata vestis, armorum infinitus propè numerus, equi præstantes permulti, phalerarum, ephippiorum, cæterorumq; ornatorum equestrium incredibilis copia, captivi plurimi, Principes, Barones, Nobiles, quibus omnibus ex rebus nihil Haquinus accepit: non me, inquiens, spoliorum & opum cupiditas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie stans corpus meum telis et ensibus hostium obicerem, induxit: patriæ mihi libertatis ardor, & bujus pulcherrimi regni ab injusto hostium dominatu vindicandi studium, faces ad eam rem, & stimulos subdiderunt. O celebrem illam et divinam vocem! Ità nimirum non divitiae, non opes, non assentatorum laudationes, sed præclarissima fortitudinis et modestiae documenta gloriosum et admirabilem regem efficiunt, nec tam statuas æri aut plumbo inherentes, aut triumphorum laureas mox deinde aerecentes, quam virtutem & animositatem magnorum principum admiramur. Sentio equidem, serenissime Rex, sentio tantas & tam præclaras Haquini

D.

alio-

aliorumq; regum res multò breviùs multoq; ex-  
filiūs à me tractari, quam dignitati atq; ampli-  
tudini ipsarum conveniret. sed quis modus fu-  
turus erat, si qua præclarissimè & fortissimè ab  
antiquissimis temporibus Gothorum reges fere-  
runt, iis in singulis immorari atq; insistere re-  
lim. certè si de omnibus pauca differe velle,  
immensus & latissimus se mihi dicendi campus  
Diceneus aperiret. dicerem Diceneum illum, splendidis-  
Rex. sumum & sapientissimum Gothorum Regem,  
quo nemo disciplinas Pythagoricas et sapientiam  
Ladalaas  
Rex. exactius atq; expeditius caluit. dicerem Lada-  
laam, cuius fortitudo tantam populis Gothicis  
peperit securitatem, ut aurea omnes in pace vi-  
tam degerent, neque quisquam horrea aut do-  
mos suas clauderet. dicerem Ericum disertum,  
Ericus  
disertus  
Rex. Ciceronis seculo Gothis imperantem, cui tan-  
ta dicendi vis, tantum in lingua flumen & de-  
cūs, tanta eloquentia fuit, ut eum non humano  
consilio suis populis datum, sed calo delapsum o-  
mnes omnino gentes arbitrarentur. dicerem O-  
laus  
Rex. laum, dicerem Tengildum: illum Vermorum,  
Tengil-  
dus Rex. hunc Scricfinnorū Regem; quibus nihil nobili-  
us, nihil unquam forius in rebus humanis fuit.  
Herotus  
Rex. Nēq; præterirem Herotū qui immensam illam  
vicino

vicinorum principum licentiam non tantum  
feliciter repressit, inq; maxima fortunarum o-  
mnium affluentia moderatissime Sueones rex, bella ingētia cum Norvegiis confecit, hostes ad-  
fixit, regni terminos latissime propagavit: sed et  
justitiam, clementiam atq; munificentiam tam-  
quam proprias summorum regum et principum  
virtutes summo semper studio colvit. quis verò  
expeditissimum de rebus gravissimis hujus regis  
judicium, quis ferventem curam & sollicitudi-  
dinem in providendo, celeritatem in conficien-  
do laudare satis queat? ferunt Iringum herbam  
esse istiusmodi; quam si caprarum aliqua in os  
accipiat, ipsa primum qua accipit sifit, nec  
multo post & reliquias earum grex attonitus  
immobilisque efficitur: ita ut antequam her-  
ba illa ex ore caprae eximatur, loco se move-  
re posse grex & capra non videatur. an non  
eodem propemodū modo consiliorum omni-  
um vim & rationem ruditas negligentiaque  
Principis impedire & retardare consuevit? qualis.  
Princeps  
indoctus.

Sivardus  
Rex.  
Egbertus  
Rex.  
Hacho  
Rex.

34. Re-  
ges ex  
Septen-  
trione.

momento huc illuc impellitur : si ex aliorum arbitratu consiliove pendet, si alienis oculis videt, aliena lingua loquitur, sine dubio turbinis instar fluctuat : si præceps est, ruit : si cunctator, deserit : si præfidens sibi, fallitur : si dissolutus, circumscribitur : si nimium facilis, contemptibilis : si austerus, odiosus ; si verbosus, futilis & vanus : si taciturnus, inflatus & suspectus statim habetur. Herotus autem Sueonum Rex sic media via ibat, ut in tanta regendi gubernandiq; difficultate, pacisq; & belli rebus acutissimè perspiciendis rara quadam & admirabili dexteritate, labore, & sagacitate uteretur, tantoq; suorum populorum favore septus esset, ut nemo patrem suum avidius quam hunc principem optimum potentissimumq; Patriæ Patrem intueretur. Talia quam libet multa dicerem, multa tamen de Sivardo, de Egberto, de Hachone aliisq; maximis regibus necessariò præterirem, summa omnia, & heroica virtute numquam indigna. Quod si vellem ulterius progredi,

& tūm quomodo priscis temporibus triginta & quatuor Reges ex Septentrione in orbem terrarum egressi, alii Asiam, alii Thraciam, alii Italię omnia ferro proterentes petiverint, tūm

quo-

quomodo ingentem cunctis ferè populis terrem incusserint, ut etiam reges non lacessti ultro pacem ingenti pecunia ab eis mercarentur, quomodo gentes quoque & populos nationesq; per quas iter habuerunt veluti prædam sectati sint, nullam subiectis noctem, nullum sine labore & periculo diem egerint, concretas gelu nives, & astus, & famem et laborem et lasitudinem pertulerint, exponere : commemoram, quam multi ex eis Italiam cum exercitu validissimo oppresserint, quam multi Orientis & Gothis in Hispania Pannonia, Illyrico & Italia.

Hispania  
Panno-  
nia, Illy-  
rico &  
Italia.

Quippe & Procopius, & Tacitus, et Olaus Gothus ita egregie ipsorum res gestas litterarum monumentis consignarunt, ut omnino immortalem quandam laudem consecuti videantur & historiæ scriptores, & Gothis populorum dominatores. Ego verò quid primum, quid postremum Valens à Gothis victus.

D 3. dine

Gratia= dñe conflatum uno ad Danubium prælio con-  
nus à  
Gothis  
victus. cidere. Nec melior contrà eos Gratiani ad bel-  
lum non satis apti principis fortuna fuit, quem  
Theodo= Et fugarunt, Et ad pacem petendam compule-  
sui pax runt. Theodosius quoque multis cum ferocissi-  
cum Go= ma et invicta gente præliis frustra initis, cum  
this aliter non posset, postremo pacem fecit; hono-  
Athana= rificeque Athanaricum Gothorum Regem  
Rex. Gothis Constantiopolim venientem exceptit. Atha-  
nico successit Alaricus, qui Pannonios Et Il-  
Gothis lyricum aggressus agros eorum cadaveribus  
Rex. stravit, fluvios eorum sanguine infecit. Rada-  
Radaga= gasum de occupanda Italia sollicitū et ad Apen-  
sus Go= ninū circa Fesulas confidentem Stilico fraude  
thorum Rex. magis quam aperto marte superavit et caput. sed  
postea Alaricus secundus, gentis suæ decus, quod  
II. Rex. gloria rerum gestarum calo proximum reddi-  
disset, defendendum ratus, Stiliconis exercitum  
Stilico à  
Gothis  
victus. rupti fæderis Et fidei scelere maculosum non  
tantum felicissime profligavit, sed Et militæ  
prefectum Saulum Hebreum interfecit. nullo  
quippe in accerrimo conflictu accepto incommo-  
do, nullo generosiore ex suis prefecto vel milite  
desiderato, nullisq; postremo impedimentis a-  
missis, quum hostis, viribus, multitudine, loco,  
atque

atque ceterarum rerum fortuna abunde supe-  
rior, pugnantium commodis obstat, Et non  
mediocrem omnino cladem afferre potuerit.  
Sed diis immortalibus, perjuria Stiliconis vin-  
dicantibus, brevi temporis spacio Stilico à Go-  
this armis exsitus et spoliatus omni bellicæ lau-  
dis opinione irrisusque ab hostibus, copias per-  
jurias bello, ut meruerat, amisit. mox Alari-  
cus auctis spe majoris victoria suorū animis I-  
taliam et R̄mam occupare statuit, itaq; divisis  
agminibus alpiū invicta juga, Et frigore intra-  
et abilia loca subito transcendit, tanta celeritate  
incitatis ad iter militibus suis, ut aliquantò ci-  
tius quam opinione hominū exspectari posset, ad  
menia Romana perueniret. Num verò popu-  
lus Romanus repentino instantis periculi metu  
confiernatus, summaque rerum ac saluti pluri-  
mum diffidens, diversa perturbato animo con-  
filia voluntare, modo constanter, modo trepidè,  
à ducibus suis opem, consilium, atque operam  
postulare, ambigere an immanissimo hosti se se  
opponere præstaret, an desperata defensione, cum  
Alarico aliqua pactione, oblata magna vi pecu-  
nia, pacem mercari, ut qui se omni alia spe desi-  
tum videret. Interea Alaricus urbem Romam  
subje-

Roma à  
Gothis  
victa.

subjectam oculis, è monte militibus ostendens,  
ubi ex præda multò opulentiore quām opinione  
aviditateq; ipsorum concepissent perpetuò dita-  
rentur, edixit ut corpora tanti itineris labore  
fessa, & enecta fame paullulū curarent, soli-  
taq; animositate murum subirent. Irrupere  
itaq; facile Gothi, per conjunctas muro ignobi-  
les casas, circumventamq; in medio Romanam  
plebem tanta sævitia immanitateque trucida-  
runt, ut magna hominum strage edita nullaq;  
etatis aut sexus habita ratione, cives crudelissi-  
mè caderentur. Ità Roma caput olim Mundi  
momento temporis occupata & direpta à Go-  
this est, vixq; prohiberi miles potuit, quin sacra  
omnia & in augustissimis quidem divisorū tem-  
plis, semper antea inviolatis, manibus attre-  
ctaret. Sed Alaricus, licet asper, audax, et bel-  
licosus esset; tamen in adytis ante sacrosanctam  
aram inernes homines, virginesq; & pueros  
& senes trucidari vetuit: admodum pericu-  
lum ratus, si cum innocentia atq; immortalium  
deorum templis bellum gereretur. ea nimirū  
insita erat animo Gothici Regis pietas, justitia  
atq; moderatio. Ceterum cessit & avaritia  
militum cum privatus, tūm publicus totius ur-  
bis

bis thesaurus, adeò ut vasa etiam aurea eximii  
operis discissa raperentur, gemmae quoq; nobilif-  
simæ, quas mittit India, uestes item, & nummi  
& splendidissima opulentorum civium supel-  
lex, solo illis frangeretur. Ad eum modum  
cum tridui unius spacio Alaricus urbem totius  
mundi dominam spoliavisset, exercitu salvo dis-  
cessit, ac per Campaniā iter faciens populabun-  
dus apud Consentiam correptus morbo interiit.

Alarico Aistulphus successit; qui & ipse Aistul-  
phus Ge-  
thorum Rex.  
Romam ingressus quidquid erat reliqui diripi-  
vit, eamq; de sua gente Gothiam voluit vocari,  
rapta insuper Placidia Honorii sorore, cuius  
nuptias discedens apud Forum Cornelii celebra-  
vit. tandem cum relictā Italia in Hispaniam  
cū exercitu se recepisset, brevi deinde tempore à  
suis interfectus est, quod urbi Romæ pepercisset.

Post hunc imperio potitus est Segericus, qui segeri-  
multis & egregiis in hostes facinoribus clarus,  
toties per aciem barbarorum penetravit, bella  
maxima gessit, justitiamq; & clementiam pa-  
cisq; nomen magnopere colvit, cumque maximi  
& fortissimi Regis nomen apud suos adeptus es-  
set, ab exercitu, qui ocium in armis ferre non  
poterat, eò quod pacem cum Cesare Theodosio  
E. com-

*Vallias* *Gothorū* *Rex.* *Aētius.* *Attila* *Honorū* *Rex.* *Turismū* *dus Go-*  
composuisset, indignissime interfectus est. In- claruit deinde *Vallias*, qui habito sui exercitus delectu multa hominum millia ad sedes novas quærendas veluti peregrinatum misit, Et ipse demum apud *Tolosam* in *Gallia* multo tempo- re consedit: Placidam *Honorio* viduam re- misit, Et tandem inito cum *Aētio* contrā *Attilam Hunnorum* Regem fædere, in campis *Catalaunicis* fortissimè dimicans in prælio occu- buit. credo equidem eum in præclarissima ma- jorum suorum facta intuentem, vitam potius quam victoriam amittere voluisse. Ei succe- fit *Turimundus*, juvenis plenus animi belliciq; vigoris, Et generosa admodum fronte atque eximio corporis habitu, cultuq; Et eruditano- biliq; facundia in alloquiis Et omni præclara- rum atq; bellicarum rerum actione præcellens. cum *Aētius* in *Hispaniam* Et regnum pater- num remisit, ubi in prima statim atate multa bellica virtutis documenta tam feliciter edidit, ut existimaretur eo amplissimo regno dignissi- mus, quoniam præter incomparabiles omnium virtutum dotes, se etiam tanto oneri esse parem, ingenita animi generositate ostendebat, Et non modo maximas opes Et nova regna, verum eti- am

*Theodo-*  
*ricus Go-*  
*thurum* *Rex.* am conspicui nominis amplitudinem populis acquisiturus putabatur, his insignibus studiis deditum *Theodoricus* frater interfecit, et regno suffectus est. is post exactum Roma Augustu- lum amicitia *Zenonis* fretus in *Italiam* cum maxima manu ingressus est, Et *Odoacrum* ad *Aquilejam* occurrentem ingenti prælio supera- vit, Et postea eum *Ravennæ* manibus tuerentem se penitus profligavit. ea victoria feliciter par- ta omnes Regni *Italiae* oppidorum atq; urbium portas *Theodorico* aperuit, atque ipse demum *Romam* pacificè est ingressus, exardenteq; bello cum in *Hispania*, tum in vicinis regnis adver- sus *Gothos*, ita ut nulli rerum humanarum pe- rito dubium esset, quin *Theodorico* in tāto ardore intestini belli, aliquod sacer vulnus inferretur: tamen fortuna qua ejus rebus semper effusissime favit, sublati discussisq; periculis, longè jecus ac sanus quispiam putasset, cuncta opportuna at- que facilia ad compescendos rebellantes para- vit, Et *Theodoricus* Roma templis ac rebus o- nnibus restitutis Et pacatis, cum omniū gratia Ravennam ubi aula sedem habebat, reversus est. prudentiæ alioquin, civilisq; modestiæ, Et bellorum felicitate adeò commendatus, ut Italies

hominilus, qui omnes nationes pro barbaris ha-  
bēt, minimè barbarus, sed immortalitate dignus  
Amala-  
sunt  
Gothorū  
Regina. haberetur. quo vita functo ejus filia Amala-  
sunt a regnum administravit, & veluti Marte  
generata esset, non in ocio neq; lanificio, sed ar-  
mis, equis, venationibus exercebatur. hujus vir-  
tute tantū additū gloria ac fama Gothis est, ut  
et feliciter regna sua defenderit, et felicius regno-  
rū suorum terminos propagarit. atq; utinam à  
Theodoro nefariè imperfecta non fuisset, profe-  
ctò veterum Amazonum more Europam o-  
mnem vectigalem sibi fecisset. hujus filiam in  
Vectiges  
Gothorū  
Rex. matrimonium accepit Vectiges novus Gotho-  
rum Rex in Italia, cuius fortunas non parūm  
Ildebal-  
dus Rex. Bellisarius adflxit: post eum Ildebaldus et Ala-  
dus Rex. ricus floruere, quos omnes victoriosissimus ille  
Alaricus  
Rex. & metuendus cunctis mortalibus Totilas Go-  
thus rerum gestarum gloria & magnitudine su-  
Gothorū  
Rex. peravit. Italos enim omnes et Romanos præser-  
tim cives terrore & multitudine crudelissima-  
rum impressionū superatos, fessosq; perpetuo tot  
mensum labore, et vulneribus fermè omnes mi-  
serrimè debilitatos ad deditonem adegit. ô la-  
mentabilem illum & funestum universa Italiæ  
diem cum Totilas Romam cœpit: muros disiecit;

Capi-

Capitolium inflammavit; domos urbis misera-  
bilem in modum deformatas diruit, omnesq; o-  
mnium hominum ordines ita adflxit, ut miseri-  
cordia omnis, in tanta publicarum rerum cala-  
mitate atq; in tanta commoti principis iracun-  
dia, cœdibus & sanguine vinceretur: interroga-  
tus cur tantoperè se viret, flagellū se esse immor-  
talis dei respondit. Diogenem Roma cum præ-  
sidio expulit: Justinū Florentia: Constantinum  
Ravenna: Cyprianum Perusia: Bessam Spole-  
to: Cononem item & Vitalianum & alios. fæ-  
dum id omnino & miserabile bonis pariter &  
malis videri poterat, quod obvia quæq; Totilas  
veluti tempestas quedam prosterneret. sed ille  
post nonum annum iterum Romam ingressus,  
dubio procul solo eam & qua visset, nisi Pelagii  
pontificis occurrentis cum sago & lacrimis ad-  
spectu venerabili fuisset retardatus. Tunc mise-  
ri Romani ruinam urbis & incendia, tunc o-  
mnium captivitatem, & miserrimam servitu-  
tem recordabantur, et feliciores prorsus priores  
urbis ruinas ducentes, quæ incolubus filiis pa-  
rentibusq; tectorum tantum ruina taxatae sint.  
alii fratres, alii filios, aut parentes deslebant, co-  
gnatos alii, alii amicos chariores cognatis, &

E 3.

cum

cum privatis casibus querelam publicam miscebant: sibi quisq; ante oculos objidionem, famem, et superbū victoremq; hostem proponens. sed Totū & imperiū velut ad dōmandos premendosq; que omnium terrarum populos ortum nullis viribus, nullo marte, nullis insidiis, nulla potentiā Gothorum Rex. Tēja poterat superari. hunc secutus Tēja suscepto bello in Narsetem Bellisarii successorem, pertinacissimū Gothicæ gentis hostem, eum commisso semel atq; iterum prelio vicit, et in ultimas angustias redactum vehemēter adflicxit, sed novercante tandem fortuna per insidias ab eo occisus est. Jactet nūnc Roma suos Camillos, jactet Curios, jactet Fabricios et Collatinos, Scipiones et Marcellos commendet, ad cālum ferat Trajanos, Pompejos & Cæsares decantet, nos tamen dicere audēbimus, in nobilissima Gothorum gente reges fuisse fortitudine, robore, militia, prudentia et justitia Romanis illis nequaquam inferiores, sed Romanorum potius victores.

Nam quæ tandem gens toto orbe terrarum nominari potest, quæ semel partam bellicæ virtutis laudem majore constantia illasam illibatamq; conservaverit? quæ plures atrocioresque boies aut extinxerit, aut bellica virtute domi-

tos

tos jugum suscipere sceptrumque peregrinum agnoscere coegerit? quæ Europam, Italiāmque & Hispaniam & Galliam tam saepe bello vexaverit, suumque sceptrum tam multis victoriis ornauerit, tam firmis praesidiis munierit? omnia certè quæ ab aliis populis in hoc genere gesta sunt, si unum in locum collata cum Gothorum factis comparentur, & numero eorum & magnitudine obruentur, idque eò amplius verum esse videbimus, si à Gothis in Italia olim dominantibus ad Gothos Hispania Rex. Hispania tenda dominos digressi fuerimus. quid Tenda juf- Theodosius? quid Theodegesilo animosius? quid Agla gosilus Rex. gla fortius fuit? quis Atanagildum nescit, Rex. quis Tenogildum cum Luiba fratre? hi regni Agla Rex. fines dilatarunt: & Andecam Regem Sve- Tenogilde vorum è Callacia expulerunt. cur Recare- dus Rex. dum piissimum Regem prætereamus? qui Recaredus Rex. & Arriana hæresecos hostis acerrimus fuit, & à Leandro & Fulgentio præsulibus sinceram religionem exactè didicit. eam insignem pietatem insignis statim in bello felicitas secuta est. nam benè bella conficiunt reges, qui tantos in cognitione, imbecillitatis sua progressus habent, ut deposita omni temeritas

tat8

tate & propriarum virium confidentia, toto  
animo acquiescant in præsidio misericordia dei.  
eo præsidio fretus Recaredus ex Francorum ex-  
ercitu XL. millia in campis Catalaunicis inter-  
fecit. posthunc Gundamidus Vascones domuit,  
& Romanorum exercitum fugavit, Sisebatus  
que successorem habuit, à quo Judæi omnes Hi-  
spania expulsi, Romani insigni prælio superati  
sunt, omnis verò Africa ad potentiam tanti re-  
gis magnoperè conterrita, pacem ab eo supplex  
petere non dubitavit.

**Post** eum **Suitilla** pri-  
mus totius Hispaniae Monarchiam est conse-  
cutus, Rex robore animi, civili prudentia &

justitia ornatissimus. Ne quid interim de Si-  
senando, de Tulga Videsvindoq; dicamus, quo-  
rum facta & nomina immortalitati consecrata  
nulla umquam delebit oblivio. Venio ad Re-  
censendum, optimū sane, justissimumq; et sa-  
pientissimum Regem, cuius divinam virtutem  
& pietatem singularem Ildefonsus Toletanus  
præsul litterarum monumentis ad omnem poste-  
ritatem commendavit. Novit enim orbis ter-  
rarum eximiam illius Principis fortitudinem,  
novit perpetuum dilatandi imperii studium,  
novit labores in profligandis hostibus ab ineun-

te statim

Gunda-  
midus  
Rex.  
Sisebatus  
Rex.

Suitilla  
Rex.

Sisenan-  
dus Rex.  
Tulga  
Rex.  
Videsvin-  
dus Rex.  
Recen-  
suindus  
Rex.

te statim & tate suscepitos; novit animum nihil  
nisi de justitia & utilitate publica cogitantem.  
neque cetera etiam ignota sunt, qua ad mores  
suum civium corrigendos, & ad auferendam  
improbis hostibus omnem rebellandi occasio-  
nem, & tunc Recensuindus fecit, & posteris fa-  
cienda reliquit. Refrenatam Hispanorum li-  
centiam, repressam & cohíbitam Gallorum su-  
perbiam, expulso exturbatosque ex regno suo  
Aros & barbaros hostes, sublatam penitus o-  
mnem Italorum & Romanorum rebellionem,  
compositos jussu et exemplo suo subditorum mo-  
res, mutatum in melius religionis statum, &  
tunc Goths viderunt, & nos ex antiquissimis  
historiarum monumentis exploratè cognitum  
habemus. Quid nobilissimus & fortissimus  
ille Bamba? an non res præclarissimas & tali  
imperio & genere dignas gessit? primum Va-  
scones, deinde Nemausenses rebelles, præterea  
Narbonenses victos concisolq; perdomuit. du-  
cem quoque Biterensem in Gallias Gothi-  
cas infestantem armis & exercitu exsutum su-  
peravit. sed quam præclarum & omni laude  
dignissimum illud est, quod Saracenorum nates  
**CCLXX.** ad Hispanie littus applicantes classe

Bamba  
Gothorū  
Rex.

Bamba  
Sarace-  
nos vici.

E. ingenti

ingenti obviam missa, tamquam fortissimus bel-  
lator partim caput, partim in altissimo maris  
profundo submersit et depresso. Nec bellicat an-  
tum laude excelluit Bamba, sed et sincerae religi-  
onis terminos diligenter propagavit, eamq; ob  
causam Toleti Concilium habuit, ut  $\mathfrak{O}$  sectas  
inter se dissectas regno expelleret, et civibus suis  
incorrupta pietatis decus relinqueret. tot quine-  
tiam opulentissima canobia, tot magnificentissi-  
ma  $\mathfrak{O}$  sumptuosissima templorum edificia, par-  
vo temporis intervallo condidit  $\mathfrak{O}$  erexit.  $\mathfrak{O}$   
Regem rari  $\mathfrak{O}$  singularis exempli!  $\mathfrak{o}$  ardorem  
animi commemorabilem!  $\mathfrak{o}$  pietatem omnibus  
seculis depradicandam! utinam verò ab Herin-  
gio venenum ipsi propinatum non esset, profe-  
cto rerum gestarum magnitudine, incorrupto  
pietatis zelo, viriumque gloria omnes Gotho-  
rum principes, per quos Europa domita olim  
est, viciisset. Imperavere post Bambam  
Heringi-  
us Gotha per successionis ordinem Heringius cum Egica  
rum Rex  
genero, Vitiza item  $\mathfrak{O}$  Theodebertus, Theo-  
Egica.  
Vitiza.  
dericus, Rodericus atque Pelagius, quorum mul-  
ta adversus finitimos bella, multa etiam do-  
mesticae dissensionis mala, sed plura regis  
bonitatis  $\mathfrak{O}$  virtutis exempla fuere. Quis

cñim

enim omnium regum collatis signis toties cum  
hoste dimicavit? quis facilius Hispaniam,  
clementia, Africam bello, Italiam celeritate  
superavit? inter cetera magnifica, vel preci-  
puè illud memorabile fuit, quod mansuetudi-  
nem, lenitatem  $\mathfrak{O}$  clementiam summo sem-  
per studio colvere, creberrimis sermonibus  
Alexandri illud usurpantes: Regum esse, cum  
benefecerint, male audire. qua excellenti  $\mathfrak{O}$   
clarissimis ac gloriois orbis terrarum victori-  
bus  $\mathfrak{O}$  domitoribus dignissima voce non solum  
in regni, verum etiam in virtutis  $\mathfrak{O}$  mansuetu-  
dinis avita hereditatem se pervenisse testaban-  
tur. quid enim est minus imperatorum, quam  
odio, iracundia,  $\mathfrak{O}$  cupiditatibus suis non impe-  
rare? aut quid tam angusti  $\mathfrak{O}$  contracti ani-  
mi, quam vindictam moliri,  $\mathfrak{O}$  omnes per-  
sequi subditorum injurias? certè nihil est que-  
stu ex ultione fædius,  $\mathfrak{O}$  nihil onere, ex rela-  
ta gratia, jucundius,  $\mathfrak{O}$  longè præstat si ul-  
tio vel precibus frangitur, vel temporibus Rei-  
pub. communiq; utilitati condonatur: vel ub-  
ciscendi difficultate restringitur, vel temporis  
diuturnitate mitigatur. Non patitur temporis  
brevitas,  $\mathfrak{o}$  Serenissime Rex JOANNES III.

F 2.

ut

ut plura de hoc per omnes Europæ populos Go-  
thorum imperio dicam, aut de eorum per mul-  
ta secula nobilissimis & fortissimis successoris-  
bus, qui ut amplissimorum regnum suorum  
terminos dilatarent, varios hostes multis præ-  
liis fuderunt, fregerunt, adfixerunt. projecto  
magni semper reges, fortissimi principes, magna-  
nimi in bello duces & herœs, sapientissimi reg-  
norum & Rerum pub. rectores in antiquissima  
Gothorum gente floruisse, omnes omnium secu-  
lorum historiae testantur. Cur igitur, postea-  
quam de potentissimis Regibus pauca diximus,  
*Herœs* divinos etiam istius gentis Herœs et Heroinas  
*Gothorū* silentio involueremus. Quid? Hartbenus, An-  
grimus Arverodusq; an non ob bellicam for-  
titudinem æterna laude digni putandi sunt? an  
non Arverodi filios Branderum, Biarbum,  
Brollerum, Hiarradum, Tanderum, Tirvinge-  
rumq; omnes historie Gothorum loquuntur?  
an non horum fratres, Hiortuarus, Hiartuva-  
rus, Ranus & Argenturus pari prorsus laude in-  
calum feruntur? an Haldani, Hialthoni, Scha-  
ti Hialliq; præclarissima facinora cuiquam ig-  
noita sunt? quorum animis tantus ad bella ar-  
dor innatus erat, quanta effeminatis cupiditas

est

est, ut in lautissimis epulis & turpi ocio igna-  
vam vitam segniter traducant. Ne quid inte-  
rim de Starchatero dicamus, cui principatum starchas  
hoc in genere laudis omnino assignari oportet. terus.  
Vnus ille tot civium, tot hostium, in se semper  
oculos convertit, stupentes illos admiratione:  
hos inter letitiam metumque hositantes. num-  
quam Starchaterus magnitudine animi dejec-  
ctus, numquam pondere armorum pressus qua-  
satusve, numquam telis, qua undiq; in cum con-  
gerebantur, Iesus, ita tutum semper emergende  
ex hostibus eventum habuit, ut dii immortales  
tantam fortitudinem admirati, incolumentem  
ei sinceram præstare voluisse putandi sint.

Eum Saxo ille Danicus, Boëtianæ in ver-  
ibus elegantia non infelix imitator, sic de rebus  
suis gestis loquentem inducit.

**A**T mibi (si recolo) nascenti fata dedere.  
Bella sequi, belloq; mori, miscere tumultus,  
Invigilare armis, vitam exercere cruentam.  
Castra quietis inops colui, pacemq; perosus,  
Sub signis Gradive tuis, discrimine summo  
Consenui, victorq; metu pugnare decorum,  
Turpe vacare ratus, crebras committere cedes

F 3.      egregi-

Egregium duxi, strages celebrare frequentes,  
Sæpe graves bello Reges concurrere vidi,  
Et clypeos, galeasq; teri, crudescere campos  
Sanguine, loricas affixa cuspide rumpi,  
Vndiq; thoraces admisso cedere ferro,  
Luxuriare feras inhumato milite pastas.  
Hic aliquis forte egregii conaminis auctor,  
Marte manuq; potens, medium dum pugnat in  
Intentam capiti loricam diffidit, alter (hostem,  
Casside perfossa, ferrumq; in vertice mersit.  
Quando ter Olonis summo discrimine nati  
Expugnator eram; namq; agmine prorsus in illo  
Aut gladium fregit manus, aut obstantia fudit.  
Hæc gravitas feriētis erat: quid quādo Curetū  
Littus, et innumera constratum cuspide callem,  
Primus ligniferis docui decurrere plantis?  
Namq; aditurus agros confertos murice ferreo,  
Armabam laceros subiecto stipite gressus.  
Hinc mecum egregiis congressum viribus Hamā  
Enecui: mox cum Rino duce Flebace nato  
Obtrivi Kyrios, vel quas alit Esthia gentes:  
Et populos Semgalla tuos post hæc Tilemarchos  
Aggressus, caput inde tuli livore cruentum,  
Quasum malleolis, armisq; fabrilibus ictum.  
Hic primum didici quid ferramenta valerent

Incus

Incudis, quantumq; animi popularibus esset.  
Teutonici quoq; me pænas auctore dedere,  
Cum natos Schuertinge tuos Frothonis inqua  
Cæde reos, domini vindex, ad pocula stravi.  
Nec minus hoc facinus, quādo pro virgine cha-  
Vno septenos necui certamine fratres, (ra  
Teste loco; qui me stomacho linquente perosus,  
Non parit arenti redivivum cespite gramen.  
Moxq; ducis Kerri bellum navale parantis,  
Vicimus egregio confertam milite puppim.  
Inde dedi letho Vaszam: fabrumq; procacem  
Multavi natibus casis, ferroq; peremi  
Rupibus à niveis hebetantem tela Visinnum.  
Quatuor hinc Leri natos, pugilesq; peremi  
Biarmenses: gentis Hybernæ principe capti,  
Duslinæ populabar opes: semperq; manebit  
Nostra Bravellinis virtus conspecta trophæis.  
Quid moror? excedunt numerū quæ fortiter egi,  
Quodq; manu gessi, ad solidū celebrare recēsens,  
Deficio: sunt cuncta meo majora relatu.  
Vicit opus famam, nec sermo suppetit actis.

Sed hactenus ista de Starchatero. nam publi-  
co encomio consecrata viri virtus, nulla amplius  
privata laudatione indiget. Eodem autem

virtus

virtutis & roboris genere usq; sunt Gothorum  
Heroine. Heroinæ, viris pueræ lumine virtutis preferentia-  
Gothicæ. de, à quibus, Orosio teste, nobiles illæ & bellissima Amazonum Reginae originem traxe-  
runt. Quid generatam Marte Alvildam  
commemorabimus, quæ singulare omnium secu-  
torum exemplum fuit? affectis enim in societa-  
tē illustrissimis sua gentis virginibus multos  
annos piraticam feliciter exercuit, redactoq; in  
potestatem Oceano Septentrionali, & multis  
facinoribus terra mariq; fortiter patratis, clas-  
sem cum ingenti præda in Sveciam reduxit, cla-  
dem hostium, necessitatem armorum, belliique  
causas suis ostendens, adsecutaq; singulari vir-  
tute est, ne segniores viris feminas habere Go-  
thi viderentur. haud prorsus dissimile fortitu-  
dinis exemplum Vegbiorga dedit, cui præter  
singularem belli industriam, eximæ servata in  
omne ævum virginitatis admiratio fuit. Erant  
inter Danos & Sveones simultatum & odio-  
rum veteres offensæ: quas vindicaturi bello  
Sveones, imperante Haquino expeditionem il-  
lam exitu gloriissimam in hostes suscepserunt,  
de qua superius pauca quædam annotavimus.  
in ea Vegbiorga virtute potens & manu stre-  
nua,

nua, confirmato spē visloriæ animo, contrā in-  
numerabilem hostium multitudinem feroci im-  
petu acerrimè praliata est, certissimamq; Go-  
thicæ et antiquæ virtutis effigiem repræsentavit.  
Nec enim muliebriter adventu hostium ter-  
rita, nec telis, quæ ab hostibus jaciebantur læsa,  
nec labore fracta, obvios quoque veluti tempe-  
stas quædam stravit, cum exprobratione crude-  
litatis, fundite sanguinem, inquiens, quem siti-  
stis, cuiusq; insatiabiles semper fuistis. projectò  
terribilis virginis bellicosa adspectus hostibus  
fuit, & novitate rei, & bellandi felicitate, &  
ipso audacia genere commotis. Itaq; cum hostes  
cecidit, cum scuta militibus detraxit, cum in  
ipsa acie imperterrita stetit, fortitudinem suam  
per totum exercitum diffudit, dubiamque belli  
fortunam divino animi ardore conservavit.  
jacent Romani Chlæliam inclitum contra ho-  
stes patriæ ausam facinus: jacent Tomyrin Scy-  
tha; jacent Amazones suas: extollant alii ad  
cælum Portiam, & animositatem Harmoniæ  
Syracusanæ cantent: certè tanto robore animi,  
atq; corporis utentem, nullam in medium pro-  
ducent, licet facere id maximè velint. nam illi-  
us Heroine opera, honoresq; operum, ultrà fi-  
G. dem

dem veri, excedere judicari possent, nisi ea certi  
auctores, inter quos Olaus Magnus est, moni-  
mentis suis testata esse voluissent. Sed quid de  
Heta, de Landgertha, de Rutila & Sela, Sti-  
claq, & Amalasunta dicemus? quæ omnes  
muliebris fortitudinis exemplo omnino essent  
adjiciendæ, nisi rerum me copia inopem consilii  
& sermonis redderet. quod si ulla in me dicen-  
di vis aut facultas esset, optarem euidem ali-  
quam mihi non tam uberem ac copiosam ad di-  
cendum materiam dari; ut in singulis ejus parti-  
bus accurate percensendis, copiose exornandis,  
artificiose exagerandis jactare atque ostentare  
me possem. Nunc tantum, ut pictor, cui in exi-  
guia aliqua tabella ingens aliqua multitudo ho-  
minum exprimenda est, nonnullorum vultus  
tantum atq; ora, multorum summa modo capita  
ostendit, totum reliquum corpus abscondit: ita  
me, cui innumerabilia Gothicorū Regum, prin-  
cipum, ducum, Heroum, Heroinarumq; eternis  
dignissima laudibus facta, in angustū unius bre-  
vissime orationis curriculum concludēda sunt,  
multa quæ si pandi explicariq; possent quaque  
spectanda proponi, incredibilem admirationem  
excitarent sui, delibare modo, et attingere, mul-

10

ta etiam significare potius, quam ostendere, ne-  
cessè est. Ideoq; ne de diuō quidem patre tuo,  
Serenissime Rex, maximo illo & potentissimo  
Gothorum & Suconum rege Gostavo copiosi-  
us dicam: sed tantum quasi præteriens tanta-  
rum & quidem maximarum rerum molem, de thorum  
præclarissimis ejus divinisq; & regio genere dig-  
nis virtutibus, deq; bellica ejus fortitudine bre-  
vi sermone disseram, ex quo, quantus & Rex,  
& quantus bellator fuerit, cognoscetur. ô dig-  
num immortali imperio Gostavum Regem!

Primum enim si pium & religioni deditum Pietas.  
regem esse oportet, propterea quod nemo aliquid  
adversi evenire posse suspicatur ei principi,  
quem cælestè numen tuetur & defendit: quis  
quæso ad tuendam, ad decorandam, ad ampli-  
andam sinceram religionem, & ad dei cul-  
tum in tantam sublimitatem provehendum,  
ad condendas dignas christianis civibus leges  
alacrior, propensior & paratior Gostavo  
Principe fuit? quis splendidissima templæ,  
quis aras, quis domos sacras majoribus um-  
quam impensis erexit? ille in regno suo adjun-  
ctis sibi bonis & religiosis viris religionem, ce-  
rimonias, ritus cultusque divinos ordinavit;

G. 2.

festæ

Gostavus  
Svecoru  
& Go-

Rex.

festa magnificè celebravit, suosq; sacerdotibus  
piis redditus assignavit. imò regium opus, quod  
æterna celebratione dignum est, aggressus, non  
tantum idolorum facella sustulit, statuas per-  
fregit, lucos succidit; sed & tamquam verus  
aliquis Josaphatus ad populos suos per omnia  
regna Episcopos, Sacerdotes & Doctores misit,  
qui eodem officio fungerentur, qui libros sancta-  
rum scripturarum Gothicō sermone expressos  
circumferentes, & omnia peragrantes tot reg-  
norum oppida colendi invocandique numinis  
rationem vulgo ostenderunt, et tām fideliter ru-  
des populos ad dei venerationem traduxerunt,  
ut toto Gostavi Regis ævo in hunc usq; diem à  
domino deo numquam defecerint. Nec mirum  
cuiquam esse debet, quod tām sollicita cura o-  
mnia sincerae religionis momēta piissimus prin-  
ceps examinaverit. omnia namque post pietat-  
em esse ponenda censebat, etiam illa in quibus  
summae & regiae majestatis conspicī decus volu-  
isset, itā se terrarum omnium et populorum suo-  
rum dominum stabilem futurum exsistimans, si  
summi dei gloriae, & incorruptae religioni benē,  
atq; constanter fuisset famulatus. Utinam ve-  
rō nunc tale in regibus amplificandæ atque pro-  
paganda

paganda religionis studium esset, minūs profe-  
cto superstitionum & sectarum haberemus.

Et pietas quidem tantas inclito Gostavo di-  
vicias, tantam potentiam & gloriam peperit, ut  
civibus carus, hostibus formidolosus, exteris  
principibus admodū gratus, et venerabilis eva-  
deret. Nam qui quo fieri poterat, ut propici-  
os non haberet deum & homines, ista tām pura  
in dei numen pietas, ista singularis in patriam  
propensio, quantam vix in ullo privato inve-  
nisses? Fām verò quis fuit usquam illustrium  
totius Europæ regum & principum, qui Gosta-  
vi Gothicī amicitiam nō expeteret, qui non am-  
biret affinitatem, qui non aliquo necessitudinis  
genere illi copulari laboraret? In his Christi-  
anus & Fridericus potentissimi Danorum Re-  
ges fuere, Elector item Saxoniae Joannes Fride-  
ricus, & Hector ille Germanicus Philippus  
Hassorum Landgravius, ne quid de Carolo &  
Ferdinando Impp: dicam, qui post tām multas  
tamq; opulentas adiectas imperio suo regiones,  
post tot domita regna, post toties fusos hostes,  
post tot victoriis auctum imperium, post tot  
immortales triumphos, hoc unum suæ felicita-  
tis numeris quasiq; curriculo deesse judicabant,

G 3. quod

quod Gostavum Gothorum Regem non dum  
viderant, cuius amicitiam non minori alacri-  
tate quam gaudio missis toties legationibus ex-  
petere videbantur. Usitata quidem veterum  
opinio fuit, ut dicerent, eas Respub. felices bea-  
tasq; esse putandas, qua aut à Philosopho, aut à  
Philosophia dedito gubernarentur: sed ego econ-  
trà illa regna esse felicissima arbitror, quibus  
aut christiani reges, aut christianitatis aman-  
tes præsunt. affuant impii reges gemmis, auro,  
et ceteris opibus & copiis, qua intimo terræ si-  
nu, & venis occultantur; & quod ab ethnicis  
& superbis principibus optatur imprimis, eo-  
rum domus successoribus & nepotibus floreant,  
quibus relinquant opes, qua libidini sue atque  
intemperantiae supererint: ego certe justitiam  
& pietatem colentes reges, & solida illa, &  
vera, atque aeterna bona conseciantes omnibus  
gaudiis & voluptatibus cumulatos fore puto,  
qui in sua vissima pulcherrimi & sanctissimi  
numinis contemplatione conquiescent, & quo-  
rum animus rebus fragilibus & caducis affixus  
non est, sed caelestibus & minimè fugacibus ad-  
umbratisq; bonis saturantur. Alterum dubio  
procul magni principis ornamentum est pru-  
dentia,

dentia, qua tamquam dux virtutum omnium  
reliquarū à providendo dicta, in bonis diligen-  
dis, fugiendisq; contrariis versatur, & temeri-  
tati qua judicium pervertit, aut negligentia, qua  
opportunitate temporis post habita, tarditatem  
occasionis exspectare cogitur, apertissime adver-  
satur. ea in Gostavo tanta fuit, ut natura &  
virtute duce, et experientia rerum magistra co-  
mite, tum muneri & officio regio suo, tum adeò  
omnium subjectorum populorum exspectatio-  
ni abundantissime satis faceret: regnumq; Iuum  
& consilio regere, & auctoritate tueri, et vir-  
tute amplificare studeret; Ideoq; regiam & in  
violatam semper inter suos exsuffiationem re-  
tinebat, fideq; & benevolentia populorum suo-  
rum vigebat: ille concordia, ille pacis, ille ami-  
citia concilianda præclarissimus artifex erat:  
tunc eques senatorem observabat; tunc senator  
equitem promovebat et amabat; tunc potentio-  
ribus ad sua obtinenda non invidia, et tenuiori-  
bus ad altiora speranda non obstabat poten-  
tia, sed sicut in stadio cursus, in pugna tri-  
umphus, & victoria, & in omnibus deniq; re-  
bus gerendis laus atq; gloria: sic in regni guber-  
natione Gostavo pietas, prudentia & utilitas  
semper

Gulde-  
sternii.  
Bielkii.  
Sturones.  
Banneri.

semper erat proposita. habebat quidem ille ve-  
luti maximus aliquis Moses & Darius suos ad  
latus Jethrones, habebat Danieles sapientissi-  
mos, habebat magnates, duces, principes, sena-  
tores, habebat Guldesternios, Bielkios, Sturo-  
nes, Bannerosq; nobilissimos sane & sapientif-  
simos viros, sed ipse in medio procerū tamquam  
deus aliquis residens rara quadam & admi-  
rabili sagacitate & dexteritate, ipsiusque pre-  
sertim dei O. M. ope adiutus negocia regni or-  
dinabat, dubiis lucem, intricatis claritatem, et  
gravibus rebus maturitatem divina sententia  
sua adferebat; & veluti sapiens nauclerus reg-  
ni sui navem in tranquillissimo beat& vita por-  
tu feliciter gubernabat. o beatum illum Regem,  
qui in maxima fortuna rerumq; omnium afflu-  
entia res omnes ingyrum rationis et prudentiae  
converte re didicit! quis talem principem hu-  
mano consilio terris datum, & non cælo potius  
delapsum omnino arbitretur? certè ultrà hæc  
mundana præmia iis qui Respub. ornarunt,  
conserverunt, propagarunt, in cælestium ani-  
morum concilio longe majora proponuntur. an  
non ipsi etiam ethnici in conciliis deorum recto-  
res populorum collocare, & Mynoem Xanthi  
regis

regis filium summi Jovis apud superos sodalem  
fingere soliti fuerunt? o præmium bonorum  
principum in cælo remuneratione gratum, glo-  
ria solidum, perenni felicitate expletum atque  
absolutum! Ad fortitudinem ultimum regia Fortitu-  
do.  
virtutis actum venio, qua robur animi & con-  
stantiam complectitur: fortitudo nec secundis  
effertur: nec adversis infringitur; sed contrâ o-  
mnes fortuna novercantis aut ridentis flatus  
quam maxime potest, se munit, ac defendit: for-  
titudo res difficiles infracto animo vincit; for-  
titudo arma, enses, gladios, & rotarum radios  
admiratur: fortitudo, inquam, bellica pro aris,  
pro focis, pro conjugibus, pro lege et gregeensem  
quatit, hastam dirigit, aciem instituit, adoritur  
hostem, instat, premit, circumvenit, læva dex-  
traq; ferit, ad ducum signa dimicat, non ad ly-  
ram, sed ad horribilem tuba vocem excitatur,  
profert gradum, sustinet impetum, resistit ur-  
gentibus, premit cedentes, ictus incutit, incusso  
evitat, aut clypeo excipit & contemnit, aut a-  
crius in hostem consurgit; invehitur equo, urget  
stimulis, moderatur frenis, ingerit tela, vibrat  
lanceas, torquet hostium vultus, latera, terga;  
pro loco et tempore adoritur; non fugit, fugientes  
H. insequi-

insequitur; mactat, capit, exarmat, diripit, pro-  
figat, suos reducit, recolligit, exercuum instau-  
rat; ad spem vindictæ & victoriae succedit.  
hujus heroicæ virtutis vim plane admirabi-  
lem summi cælites Gostavo inspiraverant.  
non illum ferocitas leonis terrebat, non sævitia  
Tygridis frangebat, non ursi truculentia pertur-  
babat; apud illum rapacitas lupi; fraudulentia  
vulpis, versutia Chamæcontis, varietas par-  
di, mordacitas canis contempta fuit: id est, in-  
ternos Gostavus patriæ sua Tyrannos, vita  
insidiatores, fortunarum omnium suarum  
eversores; externos & crudelissimos hostes in-  
genti excelsissimoque animi robore vicit, con-  
tempsit, profligavitq;. illius summa cupiditas  
erat omnia fortissimorum ducum militumq; of-  
ficia obire: ille de apparandis classibus, extru-  
endis arcibus, muniendis castris, locandis præ-  
sidiis, exstruendis vallis, compingendis aggeri-  
bus, evacuandis fossis, suffodiendis cuniculis, fa-  
bricandis machinis, diligendis armis, oppug-  
nandis manibus, comportandis commeatibus,  
locandis hosti insidiis tamquam optimus Impe-  
rator semper cogitabat. ille noverat obsidere ci-  
vitates, jacere tela, fremere tormentis, perfodere  
muros

muros, concutere turres, occupare mania, para-  
re incendia, diruere hostium arces, diripere ur-  
bes, subuertere castra, exercitus adversariorum  
alios dissipare, alios pessundare, alios trucidare.  
totam deniq; belli pacisq; disciplinam potentif-  
simus Rex insigniter callebat. excepere ipsum ab  
in eunte statim adolescentia non parvæ, sed re-  
giæ omnino calamitates: exsilio, hostium insi-  
dias, captivitatem passus est: Christierni cruen-  
tissimi regis facinora vidit, domi forisq; hostes  
habuit; vidit in civium suorum thalamos pu-  
blica damna intrare, affines, propinquos, regiæ  
stirpis generosissimos nepotes trucidatos defle-  
vit: ipse tamen spe ac fortunis omnibus in  
præsidio summi dei collocatis tutum semper e-  
mergendi ex tantis malis eventum habuit; et di-  
vina ac heroicæ virtute sua avitū regnum felici-  
citer acquisivit; subditos in spem antiquæ liber-  
tatis erexit, afflictos oppressosq; confirmavit.  
cantet Roma suos Coclites, Romulos, Marcel-  
los laudet; miretur Torquatos, Attilios; Sem-  
pronios Fabiosq; suspiciat: monumenta virtu-  
tum Scipionibus erigat: Crassis, Catonibus Ma-  
riisq; statuas ponat: Cotios Scævasq; dentatos  
extoliat: Spartam Leonidem et Epaminondam

Chartaginenses Hannibalem; Macedones  
Alexandrum laudent, ut solet cuiq; suum esse  
pulchrum: certè Gostavus & rerum gestarum  
magnitudine tatus in orbe arctoo princeps fuit,  
ut nulli ex antiquissimis illis Heroibus cessurus  
videatur, si suo quaque res merito ponderanda  
sit. fuit enim Rex clarus, potens & excelsus, in-  
festus improbis, bonis propicius, justitia cupi-  
dus, & in omni genere maximarum virtutum  
plane admirandus. erat præterea acer ac stren-  
uus, inq; re bellica dabat summa fortitudinis  
& industria documenta. tanta insuper animi  
magnitudine præditus, ut quamvis corpore in  
patrio regno consisteret, mente tamen velut ali-  
quis Alexander aut Darius orbem terrarum  
peragraret, multaq; præclarissima animo sem-  
per agitaret ac moliretur. fortes viros amabat,  
ignavos atq; desides ita contemnebat, ut homi-  
nes non duceret: perfecit quinetiam, ut qui ty-  
rannide et magnis opibus insolentiis effereban-  
tur, illius in vindicando severitatem pertime-  
scerent; & qui propter humilitatem obnoxii e-  
rant injuriæ, præsidio illius vitam securè tradu-  
cerent. bella plurima Gostavus & animose ag-  
gressus est, & felicissime confecit. immanem

tunc

tunc Christiernus Danicus in Svecos tyran-  
nidem exercebat, & nuper adeò Stockholmia  
magnum lectissimorum procerum multitudi-  
nem sævissime trucidaverat, quod cum nuncia-  
tum Gostavo esset, verens, ne horribilis crude-  
litas immanissimi principis ductu in totam Go-  
thorum nationem longè lateq; serperet, & græ-  
saretur, & ne flos antiquæ nobilitatis tanto sæ-  
vitiae furore funditus deleretur: igitur Tyran-  
no obviam eundum ratus, collecto quindecim Gostavus  
victor.  
millium exercitu apud Arosiam ingenti prælio  
Christierni copias superavit, delevit, profliga-  
vit, & ipse Gostavus in primam aciem tanto  
fervore procurrit, & fortissime propugnavit,  
ut ad latus ejus multi tormentorum globis in-  
terfecti caderent, quorum casu nihil ille terri-  
tus, victoriam ferro suis peperit, libertatem  
restituit. Holmiam deinde & Stekenburgum  
capit, oppida, arces, agros occupavit, reliquias  
exercitus Christierni regno exturbavit; sacra-  
torum quoque hominum tumentes spiritus fre-  
git, compescuit Lubecenses, eorumq; minas con-  
tempsit; Moschos rerum gestarum successu con-  
terruit; Finlandiam recuperavit: Gothis &  
Svecis gloriam, nomen, libertatem & regnum

H 3.

avitum

aritū restituit: insidias prudentia; invidiam liberalitate et magnitudine animi; obtrectationē munificentia singulari declinavit et superavit, et tādem pace cum viciniis regibus inita Gothorum regnum quadraginta annos tāquam alter quidam Augustus moderatissimē & felicissime rex. Rex ingenio summo, eloquētia suaviāte et magna, sapiētia admirabili, et felicitate insigni magnopere admirandus, qui nunc in aureo summi numinis throno, et in illis beatissimorum angelorū caelestibus choris, cum Davide, cum Ezechia, cum Josia & Constantino ceterisq; piis & maximis heroibus beatitudine fructur sempiterna, et tamquā præclarissimū aliquod sidus nominis sui splendore orbem adhuc terrarū illustrat.

Nunc autem à divo Gosta & sanctissimo parente tuo, ad te victoriosissimumq; filium tuum recurrit oratio, ô serenissime & maxime Rex, JOANNES III. sed unde verba sumā? quomodo initium mea orationis instituam? quomodo eam disponam? quomodo eam pertexam? quomodo eam concludam? Nam ego quo tua majestati deberi plura video, & quo minus præstare possum, eo fugit ac reformidat id magis animus, & in angustū mea redigitur oratio. dicendum enim

Ioannes  
III. Sve-  
corum et  
Gothorū  
Rex.

est

est de summi et optimi regis laudibus, dicendum de tot tantisq; rebus gestis et victoriis tuis, quas sicuti difficile est explicare omnes, sic nefas vel aliquas præterire. audendum tamen est, et faciendum omnino, ut si minus diserti et eloquentes, at saltem nō ingratia erga tuū in Livoniam ingressum videamus. Tu, ô maxime Rex, es nobilissimus ille Phænix ex rutilante tantorū heroum cinere excitatus, et huic afflictissimo mundi seculo quasi de superū augustis sedibus demissus. quid ego nunc sapiētiam, quid eloquētiam, quid justitiam, quid fortitudinem, quid alia divinissima in tuo regio pectore dona commemorem? te velut aliquem divinū Solomonē homines intuentur, ex tuo facundissimo ore melle dulcior sermo fluit, tantaq; clarissimis oculis tuis majestas inest, ut illorū radiis percussi inferiores, nescio quid nō divina statim præsentia sentiat; tāta totius corporis pulcritudo, ut expleri mentem nequeāt homines ardescatq; tuendo talis augustioris habitus qualem et hosties formidare, et vereri improbi possint, boni vero nō possint nō amare: tuo in vultu id in scriptū videtur quod aliquid Romanus Imperator palatio suo inscripsisse legitur; certant securi, qui tentant vivere puri.

Istiusmo-

I<sup>t</sup>iusmodi certè figuram Achilles, Aeneas  
E<sup>t</sup> Africanus habuere, quām sic augustam esse  
voluerunt, ut nihil tamen amabilius, sic rursus  
amabilem, ut nihil esset augustius. Reges ob ex-  
cellentiam officii quo funguntur deos deus E<sup>t</sup>  
filios suos appellat, quis igitur te ò potentissime  
Rex; tamquam numen aliquod inter mortales  
immortale non colat E<sup>t</sup> veneretur? quis um-  
quam te ipso sapientia studiosior fuit? quis man-  
suetudinem, comitatem, beneficentiam libentius  
E<sup>t</sup> largius umquam exercuit? quis afflictos sup-  
pressoq<sup>s</sup> benignius juvit? qui umquam fuit, aut  
est, aut erit natio, qua gens, quis populus, ad  
quem tuarum laudum cumulus non penetrave-  
rit. nonnulli te cum liberalissimo illo Tiberio  
comparare solent: alii bellicam in tua majesta-  
te fortitudinem admirantur: alii expeditissi-  
mam tot linguarum cognitionem; multi raram  
divinamq<sup>s</sup> eloquentiam; plures omnium libe-  
ralium disciplinarum scientiam decantant; E<sup>t</sup>  
merito quidem. Ille enim qui unus omnibus pro-  
videre sapereq<sup>s</sup> debet, ut omnia summa E<sup>t</sup> ima,  
mortalia E<sup>t</sup> immortalia, divina E<sup>t</sup> humana  
animo concipiatur necesse est, sicut Chylo pul-  
cherrimè dixit. sic Philippus, sic Alexander

Mag.

Magnus Philosophia interdum consilio usi-  
sunt; sic Augustus felicissimus ille orbis terra-  
rum dominus Martem E<sup>t</sup> Musas summo sem-  
per cultu prosequutus est. his nimis virtu-  
tibus tamquam quibusdam manibus Regis E<sup>t</sup>  
principis animus septus E<sup>t</sup> circumvallatus, o-  
ptima vita præcepta E<sup>t</sup> exempla unde quaque  
delibabit, E<sup>t</sup> studiorum suorum finem non in  
contemplatione ponendum, sed ad actionem re-  
ferendum vel maximè judicabit. sed virtutum  
omnium pietas est fundamentum; nam pietate  
adversus deum sublata, fides etiam E<sup>t</sup> societas  
generis humani, E<sup>t</sup> una excellentissima virtus  
justitia tollatur necesse est. quis verò umquam  
deum religiosius coluit, quam tua Majestas?  
quis regum regem Christum devotius adoravit?  
quis spiritum dei attentius inclamavit? repu-  
diatisq<sup>s</sup> diis falsis E<sup>t</sup> commenticiis uni verò deo  
cerimonias magnificas, honores debitos, E<sup>t</sup> sin-  
ceras preces cupidius adhibuit? quis templo scho-  
laq<sup>s</sup> magnificentius erexit? quis stata solenni-  
aq<sup>s</sup> sacra majori splendore E<sup>t</sup> pompa celebra-  
vit? quis tam clementer, tam largiter templis  
scholiq<sup>s</sup> E<sup>t</sup> studiis munera umquam distribuit?  
ó beatum felicemque illum regem, qui ad eam

I.

sancti-

sanctitatem pervenerit, ut non solum ab omni peccato se temperet, sed etiam mentem ipsam & agitationem animi, costam in violata m̄q̄ conservet, & repudiato consilio impiorum, in recto dei cultu, pura q̄ religione perseveret. Religio-  
nis amor Constantinum cālo intulit, Theodosiu-  
m consecravit, Honoriu beavit, Carolu mag-  
num terrarum orbi commendavit. tu autem se-  
renissime & Maxime Rex, cūm illorum pietatē  
repräsentes, cūm iisdem vestigiis ingredia-  
ris, cūm nequaquam aut constantia zelo aut pie-  
tate devotissima sis illis inferior, certissimo au-  
gurio ducimur, nos te in mundo per longissima  
tempora habituros, non solum pium, & maxi-  
mum et fortunatissimum regem, sed etiam exple-  
to jam vita cursu, sanctissimum splendidissi-  
mumq̄ cāli civem. o Gothos & Sveones terq;  
quaterq; beatos, quibus divino munere talis  
tantusq; Rex datus est, qualem ex omni mor-  
talium numero, neq; suffragiis deligere, neque  
creberrimi votis optare potuissent: tam reli-  
giosus, ut summo rerum parenti non esse carif-  
fimus non possit; tantis opibus instructus; ut  
nulli non hosti sit formidandus; tam clemens  
ut nulli non sit amabilis, tam comis, ut cui vis

pateat

pateat aditus; tam munificus; ut neminem à  
se tristem, discedere patiatur; tam libera-  
lis, ut omnes ab uno recte factorum, præmi-  
um & sperent, & ferant: tanto judicio in ex-  
aminandis hominum actionibus præditus; ut  
hunc sibi patronum sperare mali non queant:  
tam suorum ciocium amans, ut optimus quisq;  
probatus illi, charusq; esse studeat; tam bo-  
nus bonarum legum conditor, tam earum  
observans; ut & sine legibus ad ejus integerri-  
rima vita exemplum, omnes suam vitam &  
mores componere possint: sic vim quandam  
singularis innocentia spirans, ut qui in aula  
& regia domo versantur, eos omnes in eun-  
dem habitum rapiat; & ut brevibus omnia  
complectar, omnibus fortuna, corporis, animi  
bonis, sic undique cumulatus, ut numini quam  
homini propior esse videatur: ac rursus horum  
omnium ita despiciens negligensq;, ut ne inter  
mediocres quidem homines sit aliis qui'piam  
benignior & clementior. Haec videlicet, haec in-  
quam sunt illa regia tuae dotes, o potentissime  
Rex IOANNES III. quæ te summo rerum pa-  
renti et deo charum reddit, quæ tibi incredibi-  
lem blandientis fortuna favorem, quæ tibi mun-

I 2.

dum

dum universum, quæ reges, duces, populos et na-  
tiones, quæ mortales planè omnes conciliant.

In tua majestate Solomonis divinam sapien-  
tiam: Iosæ admirabilem pietatem; Davidis  
et Samsonis fortitudinem: Julii Cæsar's elo-  
quentiam; Theodosii benignitatem; Constanti-  
ni et Caroli magni constantiam omnes uno ore  
prædicant et admiratur. tu populis tuis auream  
pacem, Erici furiis profligatam, recuperasti: tu  
intercedente Maximiliano Cæsare cum totius  
Europæ regibus pacem composuisti. tu Majesta-  
ti addictus fuit optimus et beatissimus Dano-  
rum Rex Fridericus; in tuum fædus Galli et  
Hispani concessere: te amavit et colvit Impe-  
rator Maximilianus: Basilides Moschorum  
tyrannus te timuit: Turcarum princeps tua bel-  
la audivit: te nunc admiratur Italia: colit Sco-  
tia; observat Anglia: Germania tibi laudem  
sapientiae et fortitudinis tribuit. Augustus et  
Alexander maximi illi orbis terrarum domitores  
tot hostes, tot inimicos, tot insidiatores habue-  
re, tot timuere adversarios: te vero tui populi  
patriæ patrem, benignum, mitem, magnanimum,  
providum, placabilem appellant: exteri non in  
arcubus, aut colossis, aut ære aut saxis nomine tua  
majesta-

majestatis insculpunt; sed in pectore, in affecti-  
bus, in æterna memoria monumentum tibi eri-  
gunt. tu fratres principes paterno amore prose-  
queris; illi velut amantissimum parentem te co-  
lunt, et venerantur: in tuis regnis fides et be-  
nevolentia vigent: subditi regem honorant; eques  
senatorem observat; senator equitem promovet  
et amat, potentiores non premit invidia, tenui-  
ores chari sunt potentibus: unum deum, unam  
fidem, unum regem habent. o fortunatum ve-  
reque aureum Gothorū regnum, in quo te auctore,  
te moderatore, te auspice, justitia pietas et fides  
repullulascunt, reviviscunt, efflorescunt! jam  
quid bella, quid victorias, quid triumphos tuos  
ego commemorem? Scipio Africanus apud En-  
nium gloriatur, quod per sanguinem hostium  
atque cedes viam sibi ad calum aperuerit: id nos  
multò rectius de te, o potentissime Rex, dicemus.  
orbis namque terrarum fortitudinem tui exerci-  
tus nouit: tot populos, tot urbes, tot munitiones,  
tot arces exercitus tuus vidi et vicit. alii re-  
ges regna sua seditionibus et sanguine exauri-  
unt ac perdunt. In manibus enim temerario-  
rum ducum ceciderunt bellicosa Numantia, or-  
natissima Corinthus, superba Theba; doctæ

Athenæ, sancta Hierusolima: ipsaq; Romani  
Imperii & mula Carthago, tandem etiam potētis-  
sima Roma: tu novum regnum tuo regnū belli-  
ca fortitudine adjecisti? tot ducatus, tot princi-  
patus subegisti, tantas munitiones expugnasti:  
tuis armis maxima trans finum Finnicū Russiæ  
pars cessit in potestate habes Careliam; Votscho-  
via cum Lovati ripis tua est. Coporrā, Ingriam,  
Immannogrodum debellasti: Esthones te adorāt,  
Allentacia tibi servit; tu Wīria & dominaris; ti-  
bi Harria paret, tu imperas Jervia; ut interea  
taceam portus maris opportuniſſimos, opulētiſſi-  
mas urbes & civitates, oppida fortissima, arces  
innumerās, populosq; in orbe arctoo et Livoni-  
co longè lateq; diſpersos, quos imperio sceptroq;  
tuo fortissimo coērces. Nunc velut in victiſſi-  
mus aliquis Jason cum armata classe, cum tātis  
exercitibus, cum tanta procerū, magnatum, equi-  
tū nobiliumq; multitudine, per tuum Oceanum  
in veheris, inq; Livoniam accedere gaudes, ut et  
potētissimum victoriosissimumq; filium tuum,  
Rex regem salutes, et præclarissima tuorū ducū  
tuorumq; exercitū facinora coram intuearis.  
Nihil omnino ad tuā profectionē sunt antiquorū  
principū peregrinationes, nihil sunt Alexandri,  
nihil

nihil Cæsarī, nihil Adriani cōfecta per longissi-  
ma locorū intervalla itinera: illorum enim pro-  
fectio erat veluti sēva quādā tempestas, ac tur-  
bo fatalis, ita omnia quoquo versum accederent  
bello, tumultu, terrore, cāde permiscebāt: hunc so-  
la impulit rerum novarū cupiditas ut peregrini-  
nos populos frequentius adiret: sed major & re-  
galior tua est cogitatio, aliis tuā profectionis fi-  
nis, nempe ut Poloniā, Lithuania, Livoniā, Sue-  
ciam Gothiamq;, hoc est orbem totū arctoum et  
septentrionalem novis fēderibus, pace, robore, et  
ſempiterna cōcordia conglutines. Ingredere i-  
gitur, o Maxime Rex, ingredere cum deo Livo-  
niā, et veluti sol quidam, jucundo affulgens lu-  
mine, discussis malorū & calamitatum nebulis,  
festivis gaudiis omnia nunc tandem serena. Cer-  
ne, o Rex, hostium tuorum tumulos, cerne trepi-  
dātia sepulchra, aſpice tantaſ strages, vide terrā  
Moſchorum adhuc sanguine rubentem. an non  
ipſi cineres ad tuā majestatis conspectum diffu-  
giunt? an non ossa hostium arida horribili ter-  
rore complentur? sepulchra ſe commovent; an-  
tra horribili clamore remugunt? profectō ſere-  
niſſime Rex, ſi generoſi illius Ponti Legardi,  
qui bellatoris anima ex beatorum campis egredi  
nunc

nunc posset, o quām devotissimē tuam majesta-  
tem adoraret? quomodo te coleret? quam blan-  
dē tibi arrideret! tibiqz praeclarissima facta sua  
pro tui regni incremento suscepta narraret! tibi  
Coporram, tibi Nervas, tibi Wittostenum, ti-  
bi Lodum, tibi Immannogrodum aliasqz innu-  
meras munitiōnes, quibus Moschos exturbave-  
rat, digito ipso ostenderet, atqz in has demum e-  
rumperet voces: o salve potētissime Gothorum  
Rex, fortunatissime princeps, clementissime be-  
nefactor; pro te dum vita manebat, meam vi-  
tam, meum sanguinem, o omnia mea libenter  
impendi; tuo numine o fortuna o milite fre-  
tus has urbes expugnavi, has arces capi, hæc val-  
la destruxi, hos muros concendi: hic hostem ag-  
gressus sum, hic sanguinem fudi, hic steti, hic  
pugnavi, hic armatus fui; hic vici; hic hostem  
stravi; hic ducū consilia audivi: hic thoracem  
ferreum indui: hic hominum, equorum, jumen-  
torumqz cadavera cōculcavi: hic vividam spi-  
rantemqz Gothorum virtutem hostis admira-  
tus est: hic clamor morientium, hinnitus equo-  
rum fragorqz tormentorū in excelsa deorū sede  
exauditus est: tu, o maxime Rex, id quod tui mi-  
lites fortiter incepere, nunc demū feliciter opus

pertexe:

per texe: tu Moschos contunde, barbaros oppug-  
na, hostes profuga, tuumqz augustum nomen &  
ternitati consecra, o meorum quoque merito-  
rum aliquam saltem memoriam conserva; sic  
tibi dii regales faveant, tuqz sceptro terrarum  
omnium donent imperium. Hæc, serenissime  
Rex, o plura etiam fortissimus ille Legardus, Pontus  
tuus tibi miles diceret, si tuam majestatem vi-  
vus adire nunc posset. o quas ille cum magna-  
tibus tuis, generosissimis illis viris confabulatio-  
nes, qua colloquia de rebus bellicis, de exerciti-  
bus, de militibus, de armis et ensibus misceret cū  
nobilissimis Guldesterniis, cum generosissimis <sup>Gulde-</sup>  
Bielkis, cum splendidissimis Turonibus, cum <sup>sterni.</sup>  
fortissimis Banneris, cum eloquentissimis Spar- <sup>Bielkii.</sup>  
riis, aliisqz tanti Jasonis magnatibus, consiliari-  
is, bellatoribus, comitibus! quam jucundum Le-  
gardo esset, cum tantis regibus congregari, cum tot  
colloqui legatis, cum tot optimatibus convive-  
re, tot gentium, civitatum, nationum linguas,  
cultus, ingenia, mores, instituta spectare! sed vi-  
vit ille in concilium cælestium animorum re-  
ceptus. tibi verò, o serenissime Rex, in Livoniam  
naviganti Oceanus paret, mare tranquillum  
est, tibi militat aether, tibi conjurati veniunt

K.

ad

ad carbasa venti: tuam majestatem urbes exspectant; de tuis laudibus fora resonant; tibi aureis floribus campi turgentes panduntur: herbae odorem spargunt; prata rident; siluae gemmeis frondibus vernant: tibi flumina altiores praegaudio undas voluunt; te nobilitas admiratur; te sacrati homines, te cives, te incola omnes certatum salutant. cantiones, melodiae, carmina de antiquis Gothorum virtutibus audiuntur: non senes debilitas, non virgines sexus, non pueros infantia domi tenet, omnes ad te visendum adorandumque in campos effunduntur. quis umquam credat ipsos deos antiquis temporibus majori veneratione ab hominibus fuisse exceptos? legimus olim veteres inter deos locum Herculi non aliunde tribuisse, nisi quod contra Diomedem Regem Thracum, qui carnibus hostium equos pascebatur, arma sumserat, & in frusta dissectum patibulo affixerat: legimus Phylantum non alia de causa celebrari, nisi quod Drijopum Regem Apollinis Delphici fanum violare ausum regno exsuerat, illudque incolendum Melitensibus prebuerat: legimus denique quos honores, quos hymnos, quos cantus, & quales statuas, iis qui Tyrannos occiderant

derant, homines graci tribuerint, ut existaret ad memoriam posteritatis ara virtutis. tibi autem maiores omnino honores, maiores arae, maiores colossi debentur, o potentissime Rex, JOANNES III., tu a cervicibus Livoniae hostes depulisti: summum studium, summa fuit cura & sollicitudo tua, ne tempora, arae, religio funditus in Livonia delerentur: huc tui exercitus, tua bella, tua toties in hostem converfa arma, huc legationes, huc mandata legatis data, huc postulata tua semper tendebant. que cum ita sint, o Maxime Rex JOANNES III. fruere gaudio & latitiam tua, quam tibi prestans regiaq; virtus, et felicitas tua comparavit: retine nomen quod habes, bellatoris optimi, moderatissimiq; victoris; vive, o Rex, diu, vive deo, regno & populis tuis, vive serenissime Regine tua, vive ecclesiis & scholis nutricius munificissimus. te nimirum vivente et imperante aureum justitia jubar Gothis orietur, sub tua majestate, arae & religio vigebunt: tu domita Moschorum tyrannide, summus orbi arctoo Imperator praesidebis, & pacem in mundum reduces: tuam liberalitatem, tuum splendorem & magnificentiam populi laudabunt, lingua &

litteræ celebrabunt, omnes uno ore æternitati  
consecrabunt. tu regnum tuum, ad quod post tot  
rerum discrimina nutu & voluntate summi il-  
lius et cœlestis Imperatoris pervenisti, integrum  
religione, vera stabilitum libertate, opibus fir-  
mum, copiis auctum, ocio ac tranquillitate cla-  
rum efficies. sed quid verbis hoc loco opus est  
pluribus? quid regiam majestatem tuam omni  
sidere clarus fulgentem efferre ad cœlum neces-  
se est? o felicem Sveciam patriam, Gothiam al-  
tricem, Finlandiam adjutricem tuam, quæ abs-  
te & rege, & patre, & domino & patrono gu-  
bernantur: tu dum es in negocio, populi tui fru-  
untur ocio: tu dum teneris difficultate, illi fru-  
untur tranquillitate, tuis occupationibus, bellis,  
laboribus, periculis, illorum rationibus, commo-  
dis & ornamentiis providetur. o felicem quoq;  
& omni æstimatione beatiorem Poloniā, cui  
auspice deo, auctore Samoscio, Duce virtute,  
Comite fortuna, consentientibus ordinibus,  
Principibus, Ducibus, Palatinis, Castellanis, &  
omni potentissimæ gentis nobilitate, unicum et  
serenissimum filium tuum, SIGISMVN-  
DVM III, Regem dedisti: tu paternam indul-  
gentiam vicisti, ut tot populis & regnis peten-  
tibus

tibus morem gereres, eisq; certum salutis dura-  
turæ fundamentum erigeres: orbitatem passus  
es, ut alios populos ditares: tu quinetiam con-  
sultum putabas, ut in solem, quod dicitur, &  
pulverem flagrantissima serenissimi filii tui  
virtus prodiret: tu tempus esse opinabare, ut  
preclara illa semina, quæ diligenter exculto ac  
præparato ejus regio & juvenili animo colue-  
ras, omni ratione foveras, alveras, auxeras, ef-  
ferrent tandem ipsa se, & fructus exspectatione  
dignos hominum generi adferrent. Neq; enim  
tuam majestatem latebat, omnem cognitionem  
quam nulla sequeretur actio, mancam quodam-  
modo & inutilem esse. Inter hæc tamen regium  
& paternum animum tuum varia sollicitudi-  
nes adfligebant; est enim res solliciti plena timo-  
ris amor: dimittendus ex regno & oculis erat  
filius unicus, filius rex designatus, tot regnorum  
hæres, spes unica populorum, fundamentum &  
ornamentum totius imperii Gothici. an non tu  
omnium mortalium fortissimus habendus es,  
qui patrios affectus, tot duras cogitationes, tam  
multa tristia vicisti, ut Polonorum populis vi-  
ctoriarum auctorem & administratorem da-  
res? hybernis fluctibus et astuanti concursu un-  
darum

darum Oceano filii unici vita committenda  
erat; veniebant majestati tuae in mentem, du-  
bia tempestates, ludus fortunae insolens, rerum  
vicissitudines cogitabas, non raro ea accidere,  
qua ne timeri quidem possint: audiebas poten-  
tem adversarium, equos, enses, gladios, armo-  
rum strepitum, divisos hominum animos, scis-  
sam in partes Rempublicam; recursabant ani-  
mo vetera Et nova multorum principum  
exempla, quibus ejusmodi projectio vel ig-  
nominiam vel interitum attulisset: perpen-  
debas omnem tuam incolumentem, fortunas,  
opes, pacem, ocium omnemque totius tue feli-  
citas summam in filii unici salute positam  
esse: non ignorabas qualem hostem haberet;  
docebant tui populi, flebant nationes, lugebat  
aula Et regia domus; fundebat lacrymas  
totus tuus Oceanus; carendum erat filio, fi-  
lio unico, rege, herede, successore, principe,  
populorum domino: Sed tu, serenissime Rex,  
tot adversa, tam graves atrocesque molesti-  
as superasti, ut potentissimum Poloniae regnum  
cum tuo regno eterna lege conjungeres. nec  
verò dicere attinet quam lubentibus animis  
Poloniae ordines omnes Et universi nobilissi-  
mum

mum illum Jagellonicæ stirpis surculum sus-  
cepint! sustulerunt manus ad calum, Et  
gratias egerunt omnium bonorum auctori deo,  
qui tandem illorum populorum misertus, eam  
mentem immisisset regiae tue majestati. O abs-  
trusa Et recondita dei consilia! O bonitatem Et  
clementiam ipsius meritó prædicandam! vere  
dominus est qui regna transfert, qui dat cui  
vult: vere deus in filio majestatis tue regem  
nobis nobilissimum dedit, victoriosum, felicem,  
bonum, clementem, fortitudine, justitia, bello  
armis, Philosophia, studiis linguisq; clarissimum  
Et excellentissimum. Salve O Sidus nostrum,  
salve heroum præstantissime, salve potentissi-  
me Rex SIGISMVNDE Tertie, decus Sigismun  
Et præsidium Sarmaticæ Reipub: salve Go-  
dus III.  
thici generis Et nominis gloria: salve Ja-  
gellonicæ stirpis unicum decus, unice surcu-  
le, tuam divinam virtutem laudari antea  
audivimus, nunc ipsam cognoscimus Et ex-  
perimur. Quibus igitur te laudibus in ca-  
lum feremus? quas tibi statuas, quos tri-  
umphales arcus, que manifestissima admi-  
rabilis observantiae nostræ insignia decer-  
nemus atque tribuemus? concidunt statuæ,  
arescit

arescit laurus, labuntur ex hominum memoria  
triumphi. patere itaque, ô florentissime ac sere-  
nissime Rex, ô clementissime Princeps, ô benig-  
nissime patriæ pater, ô firmamentum salutis no-  
stræ, ut non tantum te prosequamur optimis o-  
minibus, faveamus animis, precemur linguis;  
sed etiam victuris ad posteritatem scriptis te ce-  
lebremus; inflamme te auspice sonorissimas Mu-  
sarum tubas, ut tuæ virtutis decus primus et ul-  
timus orbis audiat & cognoscat. Prisco qui-  
dem & vo, SIGISMVNDE Rex, solennis  
ea hominum in nobilissimarum doctrinarum  
studiis versantium consuetudo fuit, ut maxi-  
morum regum & principum res gestas ingenii  
lumine illustrarent, eisq; clarissimam vera; um  
laudum facem præferre conarentur, quorum  
& eterna pietas & virtus ob id interire nequit,  
relucentque in scriptis illis tamquam in eterno  
quodam monumento, ac nobiliore quam Artemisia  
Mausoleo construxerit. hinc sunt illa  
Livii, Plutarchi, Tranquilli, Justini, Virgilii,  
Claudiani, Jovii, Bembi, aliorumq; veterum  
& recentium præclara & divina scripta, qui-  
bus magnorum aliquando regum & principum  
heroumq; clarissima facinora ornaverunt. vir-

tuti

tuti enim ut Musæ famularentur, id verò vi-  
ri illi & homines præclari per optabile & max-  
imè decorum arbitrabantur. Igitur & tu, se-  
renissime Rex SIGISMVNDE, ô sidus  
Poloniae, ô decus Lithuaniae, ô amor & delicia  
civium tuorum, sine me hoc impetrare à maje-  
state tua, ut in tuo in Livoniam adventu tu-  
am gloriam, tuas victorias, tuam laudem,  
tuumque decus paucissimis expediam. sed  
quid prius, quid posterius dicam? quomodo res  
tām divinas, tām excellentes, tām magnas, tām  
regias, tām parvo volumini attexam? Tibi ve-  
rō, ô Serenissime Rex SIGISMVNDE, si  
quid invenire vis egregium, si quid imitatione  
dignum; non confugere ad libros, ad historias  
necessē est, neque longius evagari, & quasi pe-  
regrinari animo, ac mente, more multorum.  
domo petas, licet, omnium virtutum exempla.  
persequere quo so, ô florentissime Rex, patriam  
tuam; persecutore majores tuos cogitando: que  
fuerit eorum in pace justitia, im bello virtus, in  
imperio mansuetudo, in omni fortuna modera-  
tio, si attendas, nihil ad gloriam domesticam &  
regiam requires. recordare ô serenissime Rex,  
majores tuos, divinos illos & maximos Prin-

L.

cipes,

cipes, qui Gothiam aliquando & Sveciam,  
Poloniā & Vngariā, Hispaniā & Ita-  
liam imperio continuere: recordare Haquini  
fortitudinem, Erici sanctitatem, Caroli justi-  
tiam, Gostavi pietatem & animi magnitudi-  
nem: vide serenissimi patris tui felicitatem in  
domandis Moschis, & equitatem in gubernandis  
populis, magnanimitatem in ampliando regno,  
justitiam in extirpandis improbis; sapientiam  
in colenda componendaq; cum vicinis regibus  
pace & tranquillitate. majorum tuorum regna  
tibi jam designata sunt, serenissime Rex SIGIS-  
MUNDUS: illorum facta, tua sunt; sicut illos  
orbis terrarum cantat; ita & tuam virtutem,  
justitiam & admirabilem pietatem ventura se-  
cula cantabunt, laudabunt, & admirabuntur.  
quis quoſo omnium regum aut generis claritate,  
aut potentia, aut juſlitia te ipſo eſt ſuperior?  
certe qui tantam nominis celebritatem in ipſo  
regnorum ſuorum ingressu adepti ſint, paucos eſ-  
ſe regeſ conſtat. Nam ſicut in curſu veteres gra-  
ci lampada ſequentibus dare erant ſoliti; ita cla-  
riſſimum illud redi vivæ virtutis lumē à poten-  
tiſſimis majoribus acceptum, et à patre ſereniſſi-  
mo per manus latiſſima ſuſceſſione traditum,

tua

tua maieſtas non ſolum magis magiſq; jam in-  
flammabit, ſed et eam regiarū virtutum poſſeſſi-  
onem promotis finibus per ommem Europam &  
Sarmatiā fortiter extendet. Etenim patria  
tua eſt Svecia, ſereniſſime Rex, novus ille orbis,  
ampliſſimum illud regnum, in tot regna, tot du-  
catus, tot principatus, tot dynaſtias, tot ſatrapa-  
as diuſum: quibus tu Rex, Princeps, dux, hæres,  
dominus, poſſeſſor deſignatus eſt: tempus aliquan-  
do erit, cum Sveones et Goths imperio coērce-  
bis: Finlandiſq;, Finmarchiſ, Vermiſ, Mon-  
tanis & Lapponibus dominaberis: Scricfinni,  
Bothnienses, Dalacarli, Ingrii & Votſchoviſ  
Sudermanniaq; te adorabunt: ab Eſthonibus,  
Helsingiis, Feringiis, Biarmenibus tributum  
exiges: Bothniorum, Oelandorum, Vermclan-  
dorum, Angrimannorumq; princeps eris: te do-  
minum habebunt Oplandi, et Moringii: Both-  
nios et Midelpadios tuo regio ſceptro defendes.  
quis verò omnes populos, omnesq; nationes, qua  
à mari glaciali uſq; ad Boryſthenem imperium  
tuum expeſtant, recenſere numerando queat?  
certe tot regna, tot populos & terras, tot iſuſlas,  
tot maria, tot principatus, tot tetrarchatus, tot  
Reſpub: tot exarchatus, tot ducatus, tot comita-

L 2.

tus

tus, qui tuae majestati parent, brevis oratio ne-  
quaquam capit. habes quinetiam, ô florentissime  
Rex, præter paternas illas amplissimasq; E longè  
maximas hæreditates sub potestate E imperio  
tuo maximum illud E potentissimum Po-  
lonorum regnum, quod veluti in statione ali-  
qua collocatum protinus Europa & salute con-  
trâferas E barbaras gentes nationesq; pro ali-  
is agit excubias, E ruere nequaquam potest,  
nisi eodem etiam motu alia Christiana regna  
plurima E amplissimæ provinciæ labefactatae  
concidant E collabantur. hoc maximum reg-  
num nunc tuum est, ô maxime, Rex tu majorem  
minoremq; Poloniæ sub imperio habes: mag-  
na illa et fortissimorum semper virorum altrix  
Lithuania tibi paret: quid Russiam utramq;  
quid utramq; Borussiam commemorabo? quid  
Samogitiam, quid Masoviam, Podoliæque?  
nonne Podlachia, Volhinia E Kiovia tibi pa-  
rent? tot Ducatus, Principatusq;, tot Palatina-  
tus, tot Regiones possides, ut cum potentissimis  
totius Europa & regibus comparari non injuria  
possis. longissimum sane fuerit si enumerare se-  
orsim singulæ Provincias, dynastiasq; tuas ve-  
lim. quis nescit tot potentissimas Respublicas,

tot

tot civitates, tot oppida, tot arces et munitiones  
majestati tuae subjectas? lectissimorum tibi equi-  
tum copiam suppeditant Polonia et Lithuania,  
fortes E robustos viros habet Russia, sagaces  
Borussia, fidos Podolia, imperterritos Maso-  
via, obsequentes Volhinia E Podlachia, ala-  
cres Kiovia; sub tua ditione nobilissimi E for-  
tissimi sunt tot populi, tot nationes E lingua,  
tot flumina: nonne amplissimus ille et celeberrimi-  
mus Vistula tuum sceptrum agnoscit: sub tuo  
arbitrio sunt aquæ Donajecii Vartæque et No-  
tessii: tuae majestati Nester E Prutus E Bu-  
gus, Bogusq; undas fundunt: te Narva Dre-  
vantiaque E Odera venerantur, ne quid de  
amplissimo Duna dicam, qui ex barbara Mos-  
chorum ditione fluens in tua se majestatis qua-  
si Provincias exonerat, E tacito quodam con-  
sensu barbarorum illorum tibi portendit im-  
perium. in hoc longè florentissimo Polonia reg-  
no, SIGISMVNDE Rex, floruerunt e-  
tiam fortissimi E invictissimi majores tui.  
tu maternum genus ab antiquo illo E nobi-  
lissimo Polonorum Rege Jagellone ducis, quo  
nemo fortior, nemo melior, nemo umquam in  
rebus humanis religiosior fuit. profecto tuae ma-

L 3.

jestati

Jagello  
Poloniae  
Rex.

festati optimè congruit, quod de Ulysse dixit  
Poëta, deus est in utroque parente. Ille enim  
paterno maternoq; genere, sed fabulosa narra-  
tione ab Iove originem trahebat, tu vero ab  
eo qui E rebus gestis E pietate longè maxi-  
mus evasit, utroque parente descendisti. an  
quisquam negare ausit, deum in præstantissimi  
E fortissimi illius Jagellonis pectore olim se-  
disse; qui tantis laboribus, tanto sumptu tan-  
taque diligentia sanctissimum præpotentis  
Eterni dei cultum apud Lithuanorum  
Russorumque E Samogitarum populos pro-  
pagavit. Quod si pietas est fundamentum  
omnium virtutum; si una excellentissima,  
una que omnes mundi thesauros vincat, ha-  
benda est: sequitur ut piissimo principe lau-  
dabilius, meliusque E ornatus E generosius  
nihil esse possit. Sed ille divinus heros Jagel-  
lo cum à tenebris ad lucem, ex feda super-  
stitione ad castissimum dei cultum, plenissi-  
mamque sanctitatis pietatem adversus deum  
pervenisset, E solum verum deum invo-  
candum, colendum E suspiciendum didicis-  
set, cetera omnia pro nihilo ducenda, ho-  
nores, opes, potentiam in loco numinis non  
colen-

colendam; non tantum omnem vitam perpe-  
tuò sanctissimè traduxit, omniaq; sua facta,  
consilia, instituta ad laudem E gloriam dei  
direxit; verum etiam in ipsa religione, tuen-  
da E propaganda eam firmitudinem animi,  
atque constantiam declaravit, ut nihil ad su-  
am populorumq; suorum salutem utilius, nihil  
gloriosius esse putaret, quam verum E opti-  
mum deum sequi: illum enim qui sequitur, næ  
ille dignus est, quem sequantur universi, E qui  
veram illam sempiternæ beatitudinis coronam  
à summo rerum domino exspectet. vivens  
Jagello supra tringinta millia immortali deo  
templa condidit: altaria posuit: dilatavit  
fines religionis; cultum dei novis E am-  
plissimis redditibus promovit, auxit: nume-  
rum Sacerdotum amplificavit; ecclesia semi-  
naria scholas adificavit; quodque laudum  
ejus consummatio est, præclaro pietatis ardo-  
re perfecit, ut Christi notio apud Lithuanos,  
Samogitas et Russos longè lateq; extenderetur.  
Colebant Lithuani et Samogita ignem pro deo,  
ei aras, ei templa condebant, eum tamquam  
conspicuum E flammantem deum summa  
diligentia in agris E oppidis asservabant:  
fulmini

fulmini quoq; divinitatem quandam adscribe-  
bant; Et lucos quinetiam selectasq; quasdam  
in sylvis arbores venerabantur ut deos: vipe-  
risq; Et serpentibus et aspidibus parem tribue-  
bant honorem. Certè admodum miserabile erat,  
tantas provincias, tot populos, in tantis errori-  
bus tanto tempore sine sincera dei natione ver-  
sari. nam nihil adeò tetrum, immanc et contra  
naturam cogitari potest, quam negare eum es-  
se, à quo omnia à principio facta Et constituta  
sunt, quiq; ob hanc rem nobis rationem, atque  
omnem intelligendi vim contulit, ut in se per-  
quirendo atque cognoscendo omnem curam, co-  
gitationem, operamq; poneremus. Sed divinus  
ille Jagello cum sacratissimo baptismi lavacro  
veram religionem Et ipse cupidissime suscepit,  
Et deo ipsi sanctisq; angelis spectaculum omni  
jucunditate jucundius perfecturus, aliis quoq;  
cognatis principibus veram dei notionem  
scirgello instillavit. ita Scirgello Vitoldusque Trocensi-  
vitoldus um Et Grodnensium Duces conversi ad deum  
Vlodzi sunt, ne quid de Vlodomiro Et Coributo Kio-  
rus. Coribu viensum Et Novogrodensium principibus di-  
cam, quos ipse divinis sermonibus suis ad am-  
pleteendam veram religionem facile perduxit

postea

postea ex omnibus populis suis sustulit omne i-  
dolorum nefas, capitq; cives suos à sacellis, lu-  
cis, simulachris, aut sculptis, aut conflatis, pur-  
gare: dirutisq; serpentum Et diabolorum aris,  
imposita eis simulachra discerpsit, perfregit,  
commixuit, serpentes ipsos occidit, eorumq; ci-  
neres in flumina sparsit. ô divinum Regem! ô  
admirabilem in deum pietatem! ô singularem  
tanti principis ardorem! apud ethnicos justus  
Aristides, prudens Themistocles, fortis Epa-  
minondas perhibetur: Cyrus orientis victor  
appellatur, Pyrrhus castrametandi laude excel-  
luit: Hannibal Romanos vicit; Alexander  
invictæ fortitudinis, Julius Cæsar admirabilis  
celeritatis opinionem sibi vendicavit: sed ho-  
rum consilia quia non ad pietatem propagan-  
dam, sed ad rapinas, ad bella, ad tyrannides sta-  
biliendas directa fuerunt, quantam quoq; gut-  
tulam duraturæ laudis habere possunt? quid est  
Tyrannoru profanoru furor? quid mina? quid  
rabies? quid robur universum, cui tantopere con-  
fidunt? pale sunt, que violento aliquo fortu-  
na adflatu dissipari, Et in nihilum redigi pos-  
sunt: nonne illorum principum vana consilia  
sicut cicada in campis sonant, Et in futura illa

M.

vita

vita oblitione delebuntur sempiterna? at vera  
putatis possessio longè summissima est, & in u-  
sum beatæ vita maxime diuturna. Omitto sin-  
gularem fortissimi regis bellandi cupiditatem, et  
ardorem; non commemoro mansuetudinem, be-  
nignitatem, prudentiam; non attingo sapienti-  
am et justitiam; venio autem ad id, quod a mag-  
nis principibus propriè postulatur. Rempub:  
Poloniae accessione suarum provinciarum robo-  
ravit, confirmavitq; hostes domesticos, atq; in-  
ter hos Keistutum compescuit: Silesiam aggres-  
sus, oppida, arcus, munitiones destruxit: provin-  
ciam illam non tam subegit, quam horribili va-

Keistutu-  
eus.  
Iagello= nis bella.  
tagello= nis bella.

statione conterruit: Magistrum Borussiæ Vdal-  
ricum cum trecentis Commendatoribus & sa-  
cratis hominibus occidit, quinquaginta vexilla  
militaria hosti eripuit, exercitum totum conci-  
dit, signa victoria Cracovia in templo victori  
deo dedicavit: & eo tempore quinquaginta bel-  
latorum millia vita & spiritu carere coëgit.

Cumq; homines in morigeri, insani & fero-  
ces bellum redintegrarent, denuò ens internecri-  
one occidit, vicit, profligavit, ductore exerci-  
tus Joanne Massio, Ungaros verò in Poloniā  
invadentes quanto ardore repulit? tandem ut

pacem

pacem firmam regno suo relinquere, tertium cum  
Vitoldo exercitum contrà Prussos duxit, eisque  
feliciter debellatis, regnum suum auctoritate,  
gloria, robore firmatum reliquit, clarissimisq;  
actionibus suis perfecit, ne umquam Poloni pae-  
nitentiam agere possent, quod regem definitimis  
potius mutuati essent, quam de suis elegissent.

Nec minor filii ejus Vladislai virtus fuit, qui Vladisla  
animi magnitudine tanta erat, ut & vicinos us Poloc-  
hostes & Turcas non semel ipsos compescere au- niae &  
deret: utinam verò tam feliciter contrà hostes vngarie  
dimicasset, quam facile Papæ per legatos bellum  
suadenti credidit! successit Vladislao Casimi- Casimi-  
rus, magnus Lithuaniae Princeps, cuius opera rus Rex  
Valachi domiti supplices ad pacem petendam  
venerunt. virtute tanti regis commoti Borussi,  
ejus fidem contrà crudelē Crucigerorum do-  
minationem implorarunt, eos in gratiam rece-  
pit: Pomeranos bello aggressus est, poste à Cru-  
cigeros in Prussia delevit, tot oppidis, arcibus,  
populisq; suam in fidem receptis: prole etiam a-  
deò felix, ut omnem Europam adfinitatibus si-  
bi conjunctā haberet. Non dicam Ioannem Al- Ioan. Al-  
bertū patris successorem, cuius potentia Valachi bertus  
experti sunt, Turcae formidarunt: Borussi vene- Poloniæ  
Rex.

M 2.

rati

Alexan= rati sunt: non dicam Alexandrum : quo bello,  
der Polo= pace, justitia, et aequitate nemo nobilior, nemo or-  
nie Rex. nemo augustior fuit: cuius Tyra exerci-  
tum vidit; à quo Tattari apud Cletzcum ingen-  
ti prælio fusi, viginti virorū nullia in una pug-  
nna amisere. Sigismundi autem primi apud o-  
dus I. Po= mnes omnium gentium & nationum homines  
loniae Rex. adeò celebrata est virtus, ut cum Numa, cum  
Scipionibus, cumq; Catonibus non injuriā com-  
parari possit. Tattaros ille persæpe Polonorum  
regno inhiantes compescuit, vicit, finibus ejecit.  
Valachis Drochiniam eripuit & Scepanoviciam;  
Czernovicia eos expulit; Botussaniam  
Chocimiamq; capít: & Soczaviam regionis  
illius metropolin gravissimè oppugnavit. Tatta-  
rorum quinetiam exercitum ad Visnevicium  
viginti quatuor virorum millibus constantem  
profligavit & delevit, & Russiam à barbaris  
liberavit. ut interim Celadinum Moschovi-  
tici exercitus ducem taceam, ex cuius exercitu  
ad Borysthenis ripas quadraginta & duo bel-  
latorum fortiumq; virorum millia delevit, &  
Glinscii proditionem ultus est, cumq; ea men-  
te præditus esset, ut de ornanda egregiis princi-  
pibus Sarmatia assidue cogitaret, commotus

splen-

splendore ac salute regni sui Albertum Mar-  
chionem Brandenburgensem, sororis suæ filium,  
Repub. firmandæ caussâ, ad se et regni sui mag-  
nates accivit, eumq; ex magistro ducem crea-  
vit, & pacem cum Borussis composuit. à bellis  
liber, religioni amplificanda ita invigilavit,  
ut Theodosios Constantinosq; superare videre-  
tur; ejus sanctitas, clementia, mansuetudo &  
fides, in recenti hominum memoria versatur;  
cum viventem Poloni coluere, mortuum vene-  
rantur, ejus cineres honorant; ejus imaginem  
totius mansuetudinis pietatisq; plenam quis do-  
mi suæ in Polonia non habet? quis non vene-  
ratur? quis non osculatur? solem equidem i-  
psum, ita vivam, tam benignissimi & potentissimi  
Regis præclarissima facta admiratum fuis-  
se opinor. nam & tres eo regnante soles appa-  
ruere, favorem dubio procul Sacrae Trinitatis  
Polonorum genti ostendentes. ô Dive Sigif-  
munde Prime, quam faustam ac felicem nobis  
posterisq; nostris tui memoriam reliquisti! que  
nam statua, qui arcus, qua columnæ, qua tro-  
pheæ tuae divinae virtuti excitari poterunt: que  
non dico paria esse meritis tuis, sed eorum par-  
tem adumbrare aliquam possint? qui sunt usq;

M 3.

ad eo

deo diserti ac copiosi historiarum scriptores,  
qui cum ad tuas victorias, ad tuam pietatem,  
ad tuam justitiam ventum erit, non potius me-  
tuant, ne quid de tantis virtutibus detrahant,  
quam eas se verbis exquare posse confidant?  
tu exultantem barbarorum audaciam compres-  
fisti: finibus hostes ejecisti, hostium fines tuis  
aperiuit; tu flammam atque ferrum, tu cædem  
incendia, rapinas, libidinem barbarum à Chri-  
stianorum Europæorum vita, tectis, fortunis,  
corporibus arcivisti: tu à templis sacrilegia, ab  
oppidis direptionem, ab agris vastitatem de-  
pulisti: per te cruentatus ac tepefactus Mos-  
chorum sanguine Boryslhenes redundavit: tu  
Sigismū.  
Audus Aug.  
Poloniae  
Rex. Serenissimum filium tuum Sigismundum Au-  
gustum, pius, æquum, clementem, justumq;  
principem Poloniæ tuis regem reliquisti. illius  
ductu Lituania Poloniæ unita est; Livonia  
regno adjuncta: Moschus territus: ille Ger-  
manicæ nationis fautor, ille pacis, ille tran-  
quillitatis amator fuit: sub illo aurea homi-  
nes tempora experti sunt: ille discordias, lites,  
rixas, controvrsiasq; suorum sustulit: religio-  
nem amplificavit; novos principes sibi Vasallos  
fecit: Livoniam ad petendam pacem adegit.

tus

tu ô Dive Sigismunde Prime, ex tua serenissi-  
ma filia nepotem & successorem regno tuo **SIGI-  
SMUNDVM** Tertium reliquisti: **SIGI-  
SMUNDVM** illum potentissimum, flo-  
rentissimum, victoriosum, bonum, clementem,  
mitem, magnanimum. Salve iterum ô serenissi-  
me **SIGISMUNDE** Tertie, princeps cle-  
mentissime, salve ô Rex omnis virtutis nobilis-  
simum & præsentissimum exemplar. quæ nam  
per illum dcum, qui te regio & florentissimo in  
solio collocavit, aut vis ingenii, aut ubertas Sigismun-  
dum III.  
Poloniæ eloquentia, perinde ac de populis tuis jam meri-  
tus es, ac mereri semper potes, collaudare te  
possit? te ad Polonus navigante, mare tempe-  
states suas compescuit, siluerunt ventu, tran-  
quillum fuit profundum in tuo adventu maxi-  
mus ille cælitum atque hominum pater et rex  
testificatus est, quod ille transferat regna, quod  
det, cui vult dare: quodque adeò potentes &  
magno principes, quamvis genere celsissimo,  
opibus & gratia florentes contrà summi et po-  
tentissimi dei voluntatem nihil possint.

Per te, Serenissime Rex, pax Poloniæ reddita  
est: tu hostium tuorum armati exercitus vir-  
tute parta, in primo tuo ad Cracoviam ingre-  
su vidisti

su vidisti: enses, thoraces, clavas, sagittas, fra-  
meas, acynacesq; admiratus es tuus adventus,  
tuum nomen novas in Poloniā victorias in-  
tulit. tu regnum & coronam Poloniae tam-  
quam lampadem à majoribus traditam lētissi-  
ma successione suscepisti: tua majestas, tua præ-  
sentia populos & nationes exhilarat, adfictos  
solatur, rebelles terret, pacificos erigit. tua ma-  
jestatis auctoritas comitium novum regno in-  
dixit: tuam majestatem tot Duces, Principes,  
Comites, populi, nationesq; adorarunt. sub quo  
umquam rege tanta pax, tanta tranquillitas,  
tantum silentium in comitio ullo fuit? tuum  
præsens numen populos conterruit, tuum con-  
spectum tuam majestatem venerati conticuere  
omnes, & arrectis auribus astitere. tu edisser-  
visti quantum bonum pax sit, quam abomina-  
bile aliquid inter vicinos principes bellum, tu-  
am divinam & eloquentissimam orationem  
sic circumstantium concio exceptit, ut dicent  
universi, beatam esse Rempub: quæ à sapiente,  
à docto & eloquente Principe gubernatur.  
ō te felicem, ô te beatum Principem, SIGIS-  
MVNDE Rex, qui litteras cum Imperio  
& armis conjunxisti! inter omnia tua, anti-  
quissi-

quissimaq; gentis tuae decora, si mihi credis, erit  
hoc præcipue gloriosum, quod non satis orna-  
tus tibi videbare majorum imaginibus, stem-  
matis, torquibus aureis, thesauris, & corona-  
regia, quæ tu cum pro vetustissima gentis  
tua nobilitate, tum pro virtutibus genere re-  
gio dignis meritò gestas, nisi & animum pre-  
ciosiore quadam catena ex honestissimis Phi-  
losophia & eloquentiae disciplinis contexta de-  
corasses. certè nunc impensis etiam gratula-  
mur majestati tuae, quod principi tam poten-  
ti, excelsi, magnanimo, perspiciamus etiam li-  
berales litteras & nobilissimas linguas esse cor-  
di, tuamq; majestatem nobilis scientia deside-  
rio teneri. Et quamquam doctrinarum stu-  
diis, singulariæ fortitudinis & sapientiae opi-  
nione tantam nominis celebritatem, adeptus  
jam es; serenissime Rex; non tamen, si quid  
invenire vis præclarum, egregium, mag-  
num, imitatione dignum, non ad libros recur-  
rere necesse est, domi habes maximarum vir-  
tutum exempla, tot Reges, Duces, Heröes,  
Principes, bellatores, tot Ulysses, Hectores &  
Scipiones. vide & contemplare, serenissime  
Rex, majorum tuorum fortitudinem & vir-  
tutem,

tutem, avorum pietatem & sanctitatem, considera potentissimi patris tui res pace & bello praeclarissimè gestas, cuius oculos & aureum divinumq[ue] vultum nunc coram veluti novus quidam Epaminondas contemplaris: & ille tamquam fortissimus Evander regiarum virtutum tuarum decus laudat & admiratur.

Nunc tot Principes, tot Palatini, tot magnifici Senatores & bellatores tuam majestatem Palati- comitantur. quis nescit illustrium, illum vil- Christophorum Radivilum Birs&curren; ac Dubing&  
nensis. Ducem & Palatinum Vilnensem splendidissimum? quis tantum bellatorem, tam insignem militiae ducem non colit et admiratur? quis M. Stanislaum Presemciū aulae Marschallum, quis Illustrum Podlachia Castellaniū, quis generosissimū Dorohostaiciū nō amat? quis alios magnificientissimos senatores, illustres Palatinos, quis tot Castellanos, tot nobiles viros, tot militiae duces, tot equites et milites, qui tuā majestatem ad serenissimum patrem deducunt, tam angusta in oratione recensere possit? ut planetæ solem, ita te tui magnates sequuntur; ut angeli deum, ita illi te venerantur: ut Romani Augustum & Vespasianos, ita te adorant. tuam majestatem quam

quām devote suscipiunt Illusterrimi Curlandia Duces? quanta orationes, quanta in ipsorum ditione de tuo adventu gaudia. vide serenissime Rex Fridericu[m] principem, qui tuae majestatis beneficio nuper ducatu[m] suo inaugu[ratus] est, vide Guilielmum florentem annis & Dux. animo Principem, te ut regem adorant, ut patriæ patrem venerantur, ut salutis suæ auctorem colunt, ut benefactorem suscipiunt. Livones quinetiam omnes de tuo augustissimo adventu gaudent; urbes, oppida, agri, campi, flumina, exsultant: parati sunt ad obsequia militiae Duces, Capitanei, praefecti, nobiles, & universi plane homines. tuam majestatem generosus ille Farensbeginus, Grotusii, Corffii, Vxkelli, Tisenhusii, Vngari, Donhofii, omnesque familiae nobiles certatim sequuntur & amant: te sua salutis firmamentum, te patriæ patrem, te Reipub: conservatorem appellant.

Salve tertium, ô SIGISMUND E  
Tertie, ô sidus, ô decus unicum nostrum, ingredere feliciter Livoniam, congregare felicis cum Serenissimo Rege parente tuo. ô quantæ ovationes, quanta gaudia in Esthonia erunt, cum potentissimus pater

N 2. scrinissi,

serenissimum filium complectetur! cum tanti  
reges, tanti heroes, tanti principes colloquen-  
tur! Salvete o Maximi Et potentissimi reges,  
o patriæ patres; fruimini gaudio Et latitia  
ea, quam vestris majestatibus Et regia virtus  
Et felicitas comparavit: retinete nomen quod  
habetis, sapientissimorum regum, bellatorum  
optimorum, moderatisimorumque victorum:  
considerate, o potentissimi principes, afflictæ  
Livoniae clades, calamitates, et miseras; vos o  
clementissimi principes Et miserorum conser-  
vatores vos opem tantis vulneribus adferte.  
videte, o maximi Reges, quam multa oppida  
destructa sint, quam multa capta et vidiruta!  
quot viri nobiles ex bonis suis miserrime ejecti!  
quam indignæ hominum, virorum, matrona-  
rum, virginum, puerorum factæ cades! quæ stra-  
ges editæ! à quibus templis, antiquis, religiosis,  
Et splendidis impias Et sacrilegas manus be-  
stiae Moschoviticae continuerint! hactenus an-  
gimur, speramus, timemus: nunc vestro, ser-  
enissimi Reges, adventu recreamur. nos gene-  
ris humani pestes, nos mundi furia, nos Chri-  
stianitatis hostes; sacrorum prædones, labes  
ac ruina orbis Moschi omnibus ornamenti

spolia-

spolarunt. vos autem, o Serenissimi Reges,  
vos inquam, Et vestra Majestates calami-  
tatem nobis detrahere, pacem reddere, Et sa-  
luti nostra consulere possunt. Tendunt ad  
vos supplices manus religio, pax, Et aræ; quæ  
magna ex parte sic barbarorum impetu sunt  
deformatæ, ut vestigia pristini floris ac veræ  
religionis Et pacis vix ulla compareant: ten-  
dit nobilitas, quæ amissis prope omnibus bo-  
nis suis maiorum, virtute partis, quasi ex-  
torris vitam degit: tendunt viduae, pupilli,  
orphani, senes: tendunt civitates, oppida Et  
urbes. omnes, o Maximi Reges, qui ubique  
sunt Livoniae incolæ, vestrarum majestatum  
opem exspectant, vestrum auxilium regiamq;  
vestram misericordiam implorant.

Vestra autem majestates reconciliatis tot  
civitatibus, tot miseriis dignati sua restitutis,  
tot afflictis in spem præsentissimæ salutis ere-  
ctis, ut præclarissime de hominum genere  
mereri possint, id summi atque optimi calites  
velint, qui vobis, o potentissimi Et florentissi-  
mi Reges, terrarum omnium donent impe-  
rium, faxintque ut tandem ævo, annis, vi-  
ctoris triumphisque expleti in aureo illo Et

N.3.

feli-

felicissimo beatarum mentium concilio pro  
bac mortali conditione regnandi perpe-  
tuum & immortale regnum  
coronamq; auream &  
immarcessibilem  
accipiatis.  
(:-:)

Paulus Oderbornius

Pastor eccl: Rigensis. F.

